



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Manuale Parochorum, Sive Institutiones & Praxes Tum Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

Pars III. Reliquæ Functiones Curæ Pastoralis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

PARS III.  
 INSTITVTIONES  
 Circa reliquam curam  
 Pastoralem.

*Nemo adolescentiam tuam contemnat : sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate.*  
 1. Timoth. 4.

CAPVT I.

De munere Concionandi.

NVM: I.

*Concionandi munus proprium pastoris.*

**P**astoris munus non vltimum est, gregem pascere diuino verbo, qui verus animæ cibus est; sine quo non modò nitescere, sed ne quidem ali populus potest: ideo Diuina bonitas semper Ecclesiæ suæ de Doctoribus prouidit, qui illustrati



strati diuinâ luce, & altiori quodam spiritu afflati, res supra naturam positas populum docerent, viamque monstrarent, quâ supernaturalem beatitudinem consequerentur. Eiusmodi fuere primi hominum parentes; populi Iudaici Patriarchæ, Prophetæ, Sacerdotes: vt pro grauissimo offensus Numinis supplicio, istæ animæ iactentur apud Prophetam Amos: *Mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini: circuibunt querentes, & non inuenient. Quid verò inde? & deficient Virgines pulchræ, adolescentes inclyti; quam calamitatem nostris quoque temporibus per Pastorum negligentiam in Germaniam, aliâsque Europæ partes diuinitus emissam, hodièque spectamus, & lugemus; quò magis tibi, mihi Neo-Paroche, incumbendum vides, ne tam salutari pabulo tuâ culpâ grex egeat. At tu magnum, & perdifficile, inquires, onus imponis, mihi præfer-*  
tim



rim inerudito, & parum exercitato.  
Fateor, multa desiderantur in Con-  
cionatore, vires pares, animus pluri-  
marum rerum, & virtutum capax,  
pertinax studium, nocturnæ etiam vi-  
gilia. Verum assume generosos ani-  
mos, & te his exstimula: pastorum  
princeps Christus hoc munus sibi  
sumpsit, hoc Apostolis iniunxit, hoc  
proprium Episcopi esse voluit. Itaque  
Christi, Apostolorum, Episcoporum  
vices obis, dum agis partes Concio-  
natoris. Quam verò nobile, ac divi-  
num est hoc, ignaris lucem veritatis  
affundere, animos ad virtutem infle-  
ctere, à vitiis dehortari, homines eri-  
pere ab Inferis, cælo inferere? atqui  
fructus hi sunt Concionatoris.

## NVM: II.

*Concionandi Obligatio.*

**M**ulta grauitè, & enucleatè Pa-  
tres Concilii Tridentini de hoc  
suo munere Sess: de Reform: cap. 2,  
præscri-



præscribunt, vt per te, vel alium idoneum, si impeditus fueris, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, plebem tibi commissam, pro tuâ, & eius capacitate, salutaribus verbis pascas, docendo necessaria ad salutem, demonstrando cum facilitate, & breuitate sermonis, vitia declinare, virtutes sectari, pœnam æternam euadere, cœlestem gloriam consequi. Si negligas, iubet Concilium, te per Episcopum censuris, aliisque pœnis compelli: Sess: 22. cap. 8. idem mandat. Sess. verò 23. cap. 1. de Ref. inter cætera significat, te diuino præcepto astringi, vt oues pascas verbi diuini prædicatione. Denique Sess: 24. cap. 7. præcipit Episcopis, vt curent à Parochis, inter diuinorum celebrationem singulis diebus festis, vel solemnibus, sacra Eloquia, & salutis monita explanari, populûmque in lege Domini, postpositis inutilibus quæstionibus, erudiri. Nihil aut vrgentius, aut explic-



plicatius, aut sanctius constitui potuit. Igitur ex mente Concilii intelligis te teneri, & quidem iure diuino, vt ad populum tu ipse, si possis; aut si impedire, per alium idoneum concionem habeas, Dominicis saltem diebus, ac festis, nisi per Episcopum etiam inflictis pœnis vrgeri malis: habes præterea perscriptum, quibus de rebus ad populum habenda sit Concio, de necessariis ad salutem, de Virtutibus, de Vitiis, de Inferis, de Cælo, de sacris Eloquiis, de monitis salutis, de lege Domini: habes etiam modum, quo instruere debes; vt scilicet accommodatè tuæ, & tui gregis capacitati, vtq; sermo, postpositis inutilibus questionibus, breuis sit, & facilis. De loco nihil præscribit: conscendes suggestum, aut ex editiore gradu dices, prout mos, & res postulârit; in sacris enim nouitates cauendæ, quòd admirationem, & murmurationem pariant: decet autem, vt concioneris in veste sacrâ,

sacrâ,



286 *Institutionum Pastoralium*  
sacrâ, & cum stolâ, nisi exhortatiu-  
cula subinde potiùs futura esset, quàm  
concio.

NVM: III.

*Virtutes Ecclesiastica, seu sacri Con-*  
*cionatoris,*

Quæres ex me fortassis, ut qui  
concionandi necdum sis, vel pe-  
ritus, vel satis expertus, & ego instru-  
ctorem me profitear, quid sentiam  
sectandum, aut fugiendum sacro Con-  
cionatori; aut quamam sit ars, vel me-  
thodus sacræ Eloquentiæ: rem petis  
sanè difficilem, & prolixam; obsequar  
tamen tibi, sed succinctè, & paucis  
pro meo instituto & modulo.

Virtus præcipua sacri Concionato-  
ris exemplum bonæ vitæ; maximum  
vitium, vita improba: hoc Timotheus  
monebat Apostolus: *Attende tibi, &*  
*doctrinæ: vni verò minùs probo con-*  
*cionatori pro turpi probro idem A-*  
*postolus vertit, qui alium doces, te ipsum*  
non



non doces? qui prædicas non furandum, furaris? rectè vtrumque Sanctus Ambrosius complexus; *Antè vita*, inquit, *quàm doctrina quærenda est; vita enim bona sine doctrinâ habet gratiam: Doctrina verò sine vitâ integritatem non habet.*

Quamobrem si sapias (Sanctum Bernardum loquentem audis) *concham te exhibebis, & non canalem; hic siquidem pœnè simul & recipit, & refundit: illa verò, donec impleatur, expectat; & sic quod superabundat, sine suo damno communicat.*

Deinde mordax acetum aspergit: *Canales multos hodie habemus in Ecclesiâ, Conchas perpaucas; multi enim loqui, quàm audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt: ne tu sis ex illis; pudor esset & probrum. Igitur quod S. Hieronymus grauitè monet: Non confundant sermones tuos opera tua, ne cùm in Ecclesiâ loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur igitur hæc, quæ dicis, ipse non facis? Cæsar, vt militem ad pugnam prouocaret, non mittebat, sed*

præ-



præibat hâc voce verè Imperatoriâ,  
*veni huc miles, non illâ ignauâ, vade  
 illuc.* Ioannes Baptista prædicabat pe-  
 nitentiam; vociferabatur ille non lin-  
 guâ magis, quàm manu: Christus fa-  
 ciebat, & docebat: Paulus egregius  
 ille Cõncionator tonabat ore, mori-  
 bus fulminabat: & alter Paulus Chry-  
 sostomus, os quidem habebat aureum,  
 sed vitam aurum.

Altera virtus sacri Ecclesiastæ esse  
 debet coniunctio cum Deo, & familia-  
 ris ad eum recursus, præsertim cum  
 paranda, aut habenda est concio. Sis  
 vir orationis; hoc monet Sanctus Au-  
 gustinus: *Priùs, quàm erigas proferen-  
 tem linguam, ad Deum lena animam su-  
 tientem; rationes cum Deo pone, volun-  
 tatem eius exquire, ab eo dicendarum re-  
 rum consilia cape, re bene gestâ ad DEVM  
 recurrere, gratias age, coronam appende.*  
 Samuelis ea erat vis dicendi, vt ex  
 omnibus verbis eius, nihil in terram  
 caderet; vnde putas? nimirum no-

ctes,



ctes, diésque ante aram Domini precibus vacabat. Quid verba nisi leuis halitus? Deus est, qui facit ventis pondus, cymbalum tinniens eris, auras, & aures tantùm verberans, nisi diuina vis audientium cor pulset, & moueat: ita sentiebat Isaias, cuius polluta labia Seraphim ad aram ignito calculo purgârat: *Dominus, ait, dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum, qui lassus est verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam, quasi magistrum.*

Audies & tu: sed vide, vt bene purgatâ conscientia; non enim in maleuolam animam introibit sapientia. Neque verò defunt auctores, qui sentiant piaculum esse, peccati mortalis conscium concionari; quod etsi de peccatore publico, aut valdè irreuenter, & contemptim id agente verum sit; negari tamen non debet, plurimùm in eo statu diuinos fructus concionum impediri. Porrò quædam

N

aliæ



aliæ magis particulares, & propria in  
 Ecclestaste sacro virtutes requiruntur  
 In primis, animi summa demissio, tum  
 quia Deus humilibus dat gratiam, su-  
 perbis resistit; tum quia cum diuinum  
 quidpiam sit, & sublime ex edito loco  
 cæteris tacentibus, & defixis de rebus  
 altissimis concionari; nihil facilius  
 quam insolescere, & plus nimio ele-  
 ferri, nisi sancta humilitas intra mo-  
 dum contineat. Præterea ardere, &  
 alios incendere debet ingens zelus ani-  
 marum: Exemplo sit magnus ille  
 prædicator Paulus, cuius illa vox: *Ego  
 autem libentissimè impendam, & super  
 impendar ipse pro animabus vestris: Ti-  
 motheum verò ad ardentem zelo con-  
 ciones animans: Prædica, inquit, ver-  
 bum, insta, opportune, importune; argue,  
 obsecra, increpa, in omni patientiâ, & do-  
 cetrinâ, vigila, in omnibus labora, opus fuit  
 Evangelista, ministerium tuum implere.*  
 Verùm huic zelo comes esse debet  
 vel maximè Prudentia, vt plus nimio  
 arden-



ardentem animum, & verborum vehementiam refrænet; ne imprudenter homines magis, quàm vitia carpas; ne publicè priuata quorundam peccata castiges; ne nimiâ exaggeratione, cæcœque animi impetu rapiare: quo in genere non pauci peccant, qui indiscretâ libertate viros nonnunquam Principes, & Magistratus coram populo, alieno loco, & tempore vulnerant; cùmque nasum emungere volunt, sanguinem eliciunt, graui offensione, & scandalo, fructu nullo. Fateor tamen fortitudine etiam, & constantiâ animi opus esse concionatori, vt difficultates perrumpat; neque se sinat aut minis terreri, aut blanditiis eneruari, néue potentiorum cupiditatibus seruiat; opponat se potiùs fortiter murum pro Domo Dei; canis sit denique, qui latret, sed rabidus non sit: quam rem moderari, & ad trutinam expendere debet magistra illa concionandi Prudentia.



*Artis sacrae Eloquentiae Compendium.*

**B**oni concionatoris artem, quia  
id etiam à me requirebas, per  
paucis præceptis complectar. Pri-  
mum præceptum: Ingrediendum  
primò tibi in densam sylvam, in qua  
arbores præscindas, quibus concio-  
nem construas; comparanda, inquam,  
tibi est materia totius concionis: quo  
in genere ante omnia certum tibi the-  
ma præfiges, quod deinde accurate  
tractabis: thematis autem delectus  
esse debet, & ferè ex Scripturæ sen-  
tentiâ depromptum appositè, & con-  
gruenter loco, tempori, auditoribus:  
artis est, thema propositum esse eius-  
modi, vt partiri possis in plures par-  
tes concionis, vno veluti ductu, & fi-  
lo orationis. Porrò themata non sunt  
vnius omnia generis: quædam in  
genere exornatorio, præsertim in  
Dei, Diuorúmque laudem versantur;  
plera-



pleraque in sua forio, cum ad virtutes exhortandus, concitandusque populus, aut à vitiis reuocandus: illa priora postulant plusculum nitoris, & ornatûs; posteriora plus palæstræ, & concertationis.

Secundum præceptum: Postquam tibi thema definieris, intra quod, veluti intra gyrum, excurras; tum conquirenda erunt argumenta, quæ ad rem propositam illustrandam, deducendamque facient. Ea porrò depromi poterunt præcipuè ex sacrarum literarum Tabulario, Pontificiorum Canonum, & sanctorum Patrum locuplete Thesauro, Ecclesiasticorum Scriptorum historiis, ex Philosophorum subinde porticibus, aut lycæis: denique rationis, præsertim fidei luce illustratæ, grauibus momentis. Verùm hîc vitia tibi aliquot fugienda, ne Scripturam sacram vnquam sensu in medium proferas, à mente Ecclesiæ, & sensu sanctorum Patrum alieno: eam



ob rem Commentarios habeas eruditos; caue autem, ne ad profanos sensus, ne dicam ad iocos, & facetias, vsurpes; sanctos Patres ne ita dense, & prolixè, longissimis sententiis, ad memoriæ ostentationem recites, ut aliis memoriâ confundas; sensum contrahe, & eorum verbis tantùm pronuntia id, quod ad rem facit. In Philosophis, & historiis profanis nefis multus; ferè nullus in Poëtarum fabulis; nam quid hæc profana in sacris adytis, & quid gemmas in luto quærere? quid toties in templis crepare Platones diuinos, Stoicos plusquàm Christianos, antiquorum Romanorum virtutes vbique proponere pro exemplis; quasi nos Christianâ Philosophiâ, sacris aut historiis, aut omnium virtutum exemplis, in sacris bibliis, aut nostris authoribus careamus? scilicet Babylonem reædificabimus, confundemus linguam nostram, & Ioues, aut Iunones colemus.

At,



At, inquires, Sanctus Paulus Poëtas citauit: nimirum semel in Areopago, bis fortassis in tot concionibus: imò verò, inquires, sancti Patres, Iustinus, Gregorii duo, Augustinus, Hieronymus frequentius; Basilius ipse librum scripsit de vtilitate ex Græcorum libris capienda: quid de Cypriano Augustinus? *Aspiciamus*, ait, *quantum auro, & argenteâ veste subfarcinatus exierit ex Aegypto Cyprianus*. Verùm audi, bone vir, illa tunc erant tempora, quibus cum Gentilibus eorum armis depugnandum esset, & tamen illi ipsi, quos nominas, ex rebus nostris longè plurima dicebant, & ratiocinabantur.

Tertium præceptum: Tùm verò in præparatam materiam inducenda, quasi forma, stylus scilicet, & character dictionis, quod prolixum esset; verbo vno, alteròue accipe: ne in concionando sis leuiculus, neque mimicus; sed serius, & grauis: hoc à te postulat rei sacræ dignitas, quam ii violant,



& profanant; qui floridæ ætatis, nondum satis decoctæ, ad ostentationis verò vanitatem incitatae, cum primum è scholis ad sacra pulpita conscendunt, concionem flosculis Rhetorum luxuriantem magnâ volubilitate voce stentoriâ, gestu corporis tornato histrionico adferunt; egregii scilicet, & vendibiles oratores, idq; pulchrum, & diuinum existimant: itane Ecclesias in scenas, conciones in theatrales ludos conuertemus? hoc tu vitium execrabere, & vt ridiculum fugies? sacra Eloquentia matrona est nobilis, non puella nubilis; in seriis rebus occupari, grauitè loqui, modestè vestiri, & incedere debet; non nucibus pueriliter ludere, non futilibus nugis garrere, non fūco adulterare faciem, non molliter incedere, non aures denique, & auras procari.

Quartum præceptum: Exordia ne longa sint: ferè ducantur à re ipsa proponendo thesim, mox hypothesim,



sim, tum rem totam diuidendo, vt statim auditor sciat, quid, & quo ordine dicendum sit. Extra genus laudatorium narrationes nec vnus loci sunt, nec frequentes occurrent; subinde paraphrases sacræ historiæ placent, quas decorè, & appositè deduces. Præcipuum pondus est in argumentis afferendis, & deducendis, refutandisq; aduersariis. Peroratio concludet concionem: si erunt recolligenda capita, ne fiant putidè, aut prolixè: vrgeatur præcipuum argumentum: locus hîc maximè est concitandis affectibus: ex abrupto finire subinde habet gratiam; vt sæpe fiat, non probo.

Præceptum vltimum: Quod prope modum exciderat, caue in concionando ne mentiaris, siue in citandâ Scripturâ, aut referendis vitis Sanctorum; siue in moribus docendis, aut instruendis; graue hoc foret, ideoque in his nihil adferas asserendo in do-



298 *Institutionum Pastoralium*  
etrinâ, quod nescias. Huc ferè eòdem  
istud pertinet, vt dubia, si incidant,  
pro dubiis proponas: abstinere verò à  
nouis miraculis prædicandis, aut vul-  
gi sermonibus iactandis. Ego iam artis  
facræ Eloquentiæ Compendium tra-  
didi, alii fusiùs explicant; adhibis, si  
voles.

## C A P V T II.

Catecheses, Scholæ, Confrat-  
ernitates.

N V M: I.

*Catechismi,*

Catechesis, instructio est rudium,  
de primis scilicet doctrinæ Chri-  
stianæ capitibus, & maximè ad salu-  
tem necessariis, ac veluti primis rudi-  
mentis. Eam Apostolus comparat  
Lacti, & Elementis: *Facti estis, inquit,  
quibus lacte opus sit, non solido cibo, &  
in digitis, vt doceamini, quæ sint Elemen-  
ta exordii sermonis Dei: In hunc sensum*

S. Hie-



S. Hieronymus accipit illud Isaiaë:  
*Filie tue lac sugent, suges lac gentium, &  
 mamillâ regum lactaberis*: neque diffi-  
 cile est hinc intelligere non modò uti-  
 litatem, sed præterea necessitatem ca-  
 techizandi rudes, iam à primâ ætate,  
 ut simul cum lacte nutricis, præcipua  
 illa fidei nostræ dogmata imbibant,  
 sine quibus nec Christianè viuere,  
 nec saluari possint. Rectè de hac re  
 sapiens: *Fili*, inquit, *à iuuentute tuâ  
 excipe doctrinam, quasi is, qui arat, & qui  
 seminat; accede ad eam, bonos fructus  
 ab eâ expecta*. nimirum non hîc de vo-  
 cibus, ut in Grammaticis, & Rheto-  
 ricis; non de rerum naturâ, ut à Phi-  
 losophis; non de curâ corporum, ut à  
 Medicis; non de sartis tectis, ut à Iu-  
 risperitis; sed de diuinis, hîsque præ-  
 cipuis mysteriis agendum. Tanta  
 hæc res est, & tanti; nam hac præte-  
 rea doctrinâ innummeri errores, & hæ-  
 reses ex imperitorum animis vindican-  
 tur, vel euelluntur; hac Veneficia,



300 *Institutionum Pastoralium*  
& Superstitiones Sagarum, & Magorum ob ignorationem Christianæ institutionis inductæ depelluntur; hæc denique mores ad vitam Christiano homine dignam, præceptisque Dei, & Ecclesiæ consentaneam informantur: neque verò pueris tantùm hæc prodest eruditio, sed etiam grauiori ætati, quæ vel cum pueris, vel à pueris discit, quæ nesciebat: quare meritò Trident. Concil. Patres sanctissimè sanxerunt sess. 24. cap. 4. de Reform. vt omnes Parochi diebus festis non solum habendis ad populum concionibus vacarent; sed etiam tradendo Catechismo rudiores in fide edocerent: quod tibi eò magis ex officio Pastoris incumbit, quò hæretici suis erroribus propagandis per Catechismos, diligentius student: quid autem turpius vigilante, & vndique grassante lupo, Pastorem simplicium agnorum, & ouium curam abiicere? At, inquires, vile, & abiectum hoc munus, & puerilis



rilis occupatio, neque tam Pastoris, quàm ludimagistri: itàne verò? atqui Regius omnium disciplinarum professor Salomon rudes, & pueros vocabat: *Qui est paruulus, inquit, declinet ad me.* Et Christus plusquàm Salomon: *Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis eos; talium enim est regnum Dei, & imponens manus super illos, Benedicebat.* Magister igitur ille, & Princeps pastorum Catechistam agit, se paruulis perquàm familiarem exhibet, ad se iubet adduci, venientes amplectitur, osculatur, manibus impositis Benedicit; cum pueris quodammodo repuerascit: tu vile hoc ministerium tibi fore existimas? non ita Paulus, *omnibus omnia factus, in medio eorum erat tanquam paruulus, ac si nutrix foueat filios suos: Lac ille præbebat, ille iterum parturiebat, donec in illis Christus formaretur.* Olim catechumenis instruendis laborant, Pantænus, Clemens, Origines, Hera-



clus; quanti Viri? S. ipse Hieronymus iam senex, cum multa praecepta ad Lætam pro institutione filiae dedisset: *Ipsè, inquit, si Paulam miseris, & magistrum me & nutritium spondeo, gestabo humeris, balbutientis senex verba formabo.* Prætereo S. Vincentium Ferreriũ è familiã S. Dominici, Magnum Academiae Parisiensis Cancellarium Gersonem, Parentem Societatis I E S V S. Ignatium, Indorum Apostolum, Xauerium, præcipuorum Patrum Societatis I E S V longe plurimos, quibus id institutum semper fuit, teneros simplicium puerorum animos, Christianæ Disciplinae præceptis imbuerè, tanto fructu, quanto omnes facillè vident. Præmittere debueram S. Carolum Borromæum, Archiepiscopum Mediolanensem, qui per Provinciam decretum Tridentinum de Catechizandis rudibus, ita per alios est executus, vt etiam ipsemet puerorum se infereret coetui, quibus lac  
Chri



Christianæ Doctrinæ præberet: atque hinc excitata illa multis locis, & indulgentiis locupletata Confraternitas Catecheseos; cuius studium est, iuuentutis instructioni inuigilare, & eniti, ut tam sanctum munus non segniter obeatur. Credo, neque te iam dedignaturum: quod si vel tibi nimis onerosum, vel ne quidem vacet; officii hanc tuam partem committes Coadiutori, si quidem domi habes, aut (quod tibi erit facillimum) vnum aliquem ex hominibus Societatis IESV euocabis, si voles, qui vices suppleat; nam (ut modestè hoc de illis dicam) Laurentius Beyerlink, Canonicus Antuerpiensis, vir eruditione, & vitæ humanæ Theatro celebris, de Societate ita scribit: *Nostro seculo sedulo, & miro cum fructu catechizationi iuuentutis Religiosi Societatis IESV incumbunt, vel hoc nomine celebrandi, quod hanc rem Ecclesie Dei utilissimam magno zelo curent & exacta methodo; sic ut proprium eorum-*

eorum-



304 *Institutionum Pastoralium*  
*eorundem munus videatur, teneros puero-*  
*rum animos Christiana disciplina formu-*  
*lis velut cum ipso lacte imbuerē.*

NVM: II.

*Breuis bene Catechizandi methodus.*

**H**Æc etiam res bene Catechizan-  
di, etsi vulgaris videatur, suam  
artem habet, & methodum. Tradan-  
breui compendio. Inibis numerum  
puerorum ab anno septimo circiter,  
vsque ad annum decimum sextum:  
monebis pro concione parentes, de  
necessitate huius institutionis, & mu-  
nere tui officii, vrgebisque, vt pueri,  
quorum catalogum confeceris, & alii  
rudiores compellantur ad audiendum  
Catechismum in æde sacrâ, quo tem-  
pore iudicabis id fore opportunio: ferè  
commodius est, vt post meridiem,  
pulsu campanæ conuoces: in nau-  
templi humilia scamna disposita sint,  
quibus confideant pueri, & puellæ  
seorsim; adsit ædituus, vel vir quispiam  
alius



alius grauis, qui modestiam procuret, & attentionem: è plano, in communi tuo habitu sedens, stans, inambulans, prout libuerit, aut mos tulerit, Catechesim exordieris à signo S. Crucis, clarâ voce, SS. Trinitatem inuocando, quod ceteri facient; tùm vnus quispiam, quem designabis, linguâ vernaculâ Symbolum Apostolorum clarè recitet, reliquis per singulos articulos præeuntis vocem sequentibus; in fine verò Catechesis eodem modo Orationem Dominicam, & Angelicam salutationem. Expediret subinde eorum loco præcepta Dei, & Ecclesiæ, & septem Sacramenta viuâ similiter voce pronuntiari; vt eâ ratione, ex longo vsu, summam illam rerum maximè necessariarum omnes perdiscant.

Materia Catecheseos sunt ea ipsa capita nostræ fidei, quibus adde opera misericordiæ, septem peccata capitalia, & quatuor nouissima hominis, & si quæ eiusmodi alia; sed per partes,



partes, neque vnâ vice, & non nisi pauca, quæ diligenter inculcentur.

Modus, siue forma dictionis sit vulgaris, simplex, familiaris ad rudium, & imperitorum intelligentiam, quorum mens ignara est, debilis, & parum capax; sententiæ non ducantur longis periodis, neque tropis, aut figuris illustrentur; similitudines è vulgò sumptæ, & appositæ ad rem exempla simul docent, & delectant, simul iuuant intellectum, & memoriâ: ferè per quæstiunculas, & responsiunculas doctrinam trades, quam deinde iubebis iam ab his, iam illis stantibus fideliter repeti, vt firmiùs inhaereant. Tenera & rudis ætas mirum quantum stimuletur commendatione, & laude, præmiolis, rhythmicis cantilenis; quare hæc etiam incitamenta, & illecebras adhibebis: ad laudem pertinet, si primarii è tuis, & puerorum parentes, aut domini intersint, qui suâ præsentia catechesim

hono-



honorent: non dedignabuntur, opinor, cum ipsi nonnunquam Reges, Viri Principes, Dynastæ, & primi è Magistratu adesse non dubitârint, & præmia ipsi merentibus distribuerint; his cupediis inhiant pueri: quam in rem imagunculæ sacræ, Rosariola, cerei benedicti capsulæ, & libelli pii, tibi fiat ad manus, præsertim diebus aliquot solemnibus, ad quæ munuscula accipienda, quæ præcipuè rem egerint, quasi in theatrum honoris evocentur. Cantiones sacræ rhythmicè compositæ & modulatæ sub catecheseos finem, primò memoriam iuuant; quia numeris adscriptæ summam rei breviter exhibent: secundò capiunt audientium animos: tertio vsui sunt, vt cantilenæ profanæ, hæreticæ, turpes aboleantur; cum puriora, & sanctiora illa in vsum veniunt.

NVM;



**D**E Gymnasiis, & Academiis, Principes viri, & summi Magistratus curant: neq; iam desunt, qui maioribus studiis, & disciplinis ludū aperiant. Parochis ea cura incumbit, ut triuiales scholas in Parochiā habeant, in quibus ab idoneis magistris parua, & rudis Aetas primis saltem literarum Elementis legendo, scribendōq; informetur; fitq; tunc facilè, quòd teneri adhuc illi animi facilè imbuātur: refert autē id plurimū bono publico, & vitę hominum cūm cōmuni, tūm priuatę, ad erudendum animū, & varia emolumenta. Olim Episcopi, in Concilio Oecumenico sexto (prout referunt Canones reperti Gandau, in Monasterio S. Bauonis) mandārūt, ut rurales Presbyteri per villas, & vicos scholas haberent & quidē gratis, nisi quid parentes spontē offerrent. Et in Synodo Moguntinā an. 813. mandatur, ut parentes filios mittant ad



ad Presbyteros, à quibus erudiantur: Igitur tui etiam erit id muneris. Magister, quem constitues, non magis peritus huius artis tradendæ sit, quàm probus, & sanæ fidei, ne cum puerili doctrinâ improbos mores, & errores impios, quod facillimum est, innocentibus animis infundat; nam ferè ut quisque à teneris opiniones, morèsq; imbibit, seruat in longam ætatem: quare attendendum, ne ex libris aut hæreticis, aut aliâ lue infectis, venenum hauriant. Præter literas aliqui, quibus purior, & gratior vox influit, etiam in cantu edoceantur, quò in rebus diuinis decantandis utiles euadant. Suæ etiam leges scholæ præfigantur, quas exactè obseruent. Prima, secundùm parentes magistrum colant, eique obtemperent. Secunda, in scholam ingressi coram sacrâ aliquâ Imagine *Pater & Aue* deuotè recitent. Tertia, ne fabulentur, nugentur, scholam perturbent. Quarta, ne sine cau-

sâ,



310 *Institutionum Pastoralium*  
sâ, & excufatione absint. Quinta, ad  
rem diuinam bini deducantur, eique  
piè inter sint. Sexta, mendaciâ, furta, iu-  
ramenta, blasphemix non tolerantur,  
sed puniantur. Septima, pueri à puellis  
seorsim erudiantur, nec sinantur fa-  
miliariùs, nec publicè, nec priuatim  
ludere, aut iocari; nocent hæc vitia,  
dici nequit quantum, isti ætati in  
omnem vitam. Lektionen breui aliqua  
precatiunculâ ad Deum, aut Beatam  
Dei Matrem finiantur. Diebus Sab-  
batinis ante meridiem Litanias Lau-  
retanas ab vno præeunte altâ, & de-  
uotâ voce, post meridiem verò actum  
amoris Dei, & veræ contritionis  
actus ex certâ formulâ ab omnibus per  
partes recitari plurimùm faceret; cum  
vt ipsi multo vsu eas preces addiscant,  
tùm vt alios domi, eadem recitando,  
doceant. E re denique foret, in locis  
præsertim paulò celebrioribus, gynæ-  
cea, seu contubernia constitui, vbi  
adolescentiores puellæ puellaribus  
arti-



artibus instruerentur, iis præsertim, quæ acu exerceri solent; ut commoda & utiles aliquando esse possint vel famulæ, vel matresfamilias.

## NVM: IV.

*Confraternitates, sive Sodalitia.*

Sodalitatum quarundam instituentium initia, aliqui procul reperiunt ex Marco Porcio Romanorum, Prætoris, qui receptis Sacris Magnæ Matris, conflatam sodalitatem suo tempore gloriatur, in quâ sodales, victu, & poculis cum æqualibus se oblectabant: unde sodales dicti, quod soli non ederent: ea res deinde hucusque cum nomine propagata; nam ciues eiusdem opificii, aut artis, qui ad communes exercitationes congregantur, & collatis symbolis conuiuia agitant, sodales, & eorum cœtus sodalitates appellantur. Nomen deinde ad sacra traductum, & res in melius commutata: congregationes enim piorum homi-

homi-



hominum in eadem exercitia pietatis conspirantium, adscito è Cœlitibus Patrono, atque sub certis legibus colligatæ Sodalitates, aut à fraterno spiritalis amicitia vinculo, Confraternitates vocamus. Celeberrima illa, quæ sanctissimi Rosarii à Sancto Dominico, deinde ab ipsius sanctissimæ Familiæ Religiosis longè, latèque propagata est; & illa recentior, quam Gregorius decimus tertius in Collegio Soc: IESV Romano, sub titulo Virginis Annuntiatae, bullâ, & indulgentiis approbavit: Ex quâ veluti foecundissimâ radice innumeræ Sodalitates passim in Societatis IESV Collegiis prodire. Sunt & aliæ quàm plurimæ sub aliis Patrociniis & nominibus, ac sanctissimis legibus, Sanctæ Crucis, Venerabilis Sacramenti, Nominis IESV, Sancti Rochi, Sancti Sebastiani, & ceteræ; in quas non modò plebei, aut rusticarii homines cuiusvis sexûs, ætatis, opificii; sed Magistratus, Princi-

pes,  
purp  
nomi  
tant  
eæ v  
perfe  
brae  
conf  
men  
gend  
etiar  
mife  
ris, f  
tand  
niq;  
sunt  
rum  
Neo  
miru  
tia f  
flore  
ipse  
& sa  
id ve  
pes,



pes, Reges, Cæsares, ipsi etiam Patres  
purpurati, & infulati Antistites sua  
nomina inscribunt, coetus frequen-  
tant, strenuè se exercent; sunt enim  
eæ velut scholæ, & gymnasia vitæ, &  
perfectionis Christianæ, in quibus cre-  
bræ exhortationes de diuinis rebus,  
confessionis, & communionis Sacra-  
menta crebriùs vsurpantur: in fran-  
gendis verò cupiditatibus, & in salute  
etiam aliorum procurandâ, operibus  
misericordiæ, aliisque, plus otii, labo-  
ris, studii impenditur; ex quibus mors  
tandem securior, lætior, ac ipsa de-  
niq; beata vita consequitur: atque ii  
sunt plurimi, & maximi fructus ista-  
rum Confraternitatum. Iam vides, mi  
Neo-Paroche, quò hæc spectent; ni-  
mirum vt, si quæ eiusmodi pia Sodali-  
tia sint instituta, cures, vt vigeant,  
floreântque. Si nondum extiterint,  
ipse zelo promouendæ diuinæ gloriæ,  
& salutis aliorum studeas instituere:  
id verò hac ratione demùm conficies.

O

In



In primis tecum, capto à perit  
 consilio meditabere, quid Nominis  
 aut Patrocinii esse velis, quas cons  
 Sodalitatis leges: tunc priuatim cu  
 sanioris mentis, & melioribus Paro  
 chianis, postea etiam in communi ali  
 quorum cœtu, mentem tuam, & con  
 siliū aperies, allatis ab utilitate,  
 aliorum exemplo rationibus, in tuam  
 sententiam pertrahere conabere; cum  
 verò pertraxeris ipsorum nomine,  
 petitione, formandus erit libellus  
 supplex ad Episcopum, cuius est istius  
 modipè instituta erigere, & stabilire  
 ubi ipse consenserit, comparabis ea  
 quæ ad solemnem publicationem, cele  
 britatēque pertinent; vexillum Con  
 gregationis, in quo Patroni effigies, &  
 Sodalitii inscriptio visatur; librum  
 insignem in cuius Album nomina So  
 dalium referantur, & alterum, in quo  
 Magistratus Sodalitii, eorumque ra  
 tiones, & statuta inscribantur: legi  
 imprimendæ erunt, vt singulis Sodal  
 libus



libus distribui possint. Rebus ita ad publicam solemnitatem comparatis, indicendus dies, qui ubi illuxerit, signo campanæ conuocandus populus; maiori apparatu processio, missa, & concio habenda: post rem verò diuinam, & à meridie, & deinceps nomina eorum, qui in sodalitatem adscribi uoluerint, excipienda.

Pro Magistratu hi erunt; Parochus, velut Præses, Præfectus unus, duo Assistentes, & Secretarius, qui delecti esse debent ex primariis, & melioribus parochianis; famulus vnus adiungatur, qui idem ædituus esse poterit: penes illos erit totius Sodalitatis, & earum rerum, quæ ad eam pertinent, administratio.

Legum præscripta hæc ferè continent. Qui inscribi uolent, factâ confessione, si nihil obstet, de totâ vitâ; professionem fidei ex formulâ Concilii Tridentini emittant, deinde recipiant Eucharistiam, & per annum sæ-

O 2

pius,



pius, diebus saltem solemnioribus  
 præsertim anniuersario patrocini  
 matutinis, & vespertinis oratiunculis  
 & examini conscientiæ, rebûsque aliis  
 diuinis diligentius, quàm alii vacent  
 pro Sodalibus viuis, infirmis, defun-  
 ctis orent: & si quæ alia pro specia-  
 tituli, & institutionis ratione faciendâ  
 videbuntur. Denique virtutum Chris-  
 tianarum exemplo omnibus, cum do-  
 mi, tum foris præluceant; nam in-  
 probæ vitæ homines neque admitti,  
 neque retineri debent. Indulgentiæ alie  
 quæ pro iis, qui ingredientur Confrat-  
 ternitatem, aut ex eâ ad aliam vitam  
 decedent, aut leges obseruabunt, im-  
 petrandæ erunt ab Episcopis; & alie  
 pleniores à Summo Pontifice per Epi-  
 scopum, vel Nuntium Apostolicum  
 neque ea res magno constabit. Com-  
 pendiosius fiet, & cum maioribus gra-  
 tiis Pontificiis, si alicui Archiconfra-  
 ternitati Romanæ incorporatio, &  
 eiusdem communicatio Româ petra-  
 tur;



ur; neque difficile erit impetrare.

Sumptus, qui erunt necessarii pro Missis, processionibus, aut similibus, fieri debebunt ex communi arario, in quo eleemosynæ piorum Sodalium uiuentium, aut morientium asseruabuntur: Cauendum autem erit maxime, ne sordidè & durè exigantur; id enim malè olet, & sapit auaritiam: Rationes reddentur quotannis, cùm magistratus, si opus sit, nouus creabitur, circa festum Patrocinii.

### CAPVT III.

De curâ scabiosarum ouium.

NVM: I.

*Inquirendum in Aduenas.*

**M**onet Sapiens in sacris Prouerbiis Pastores tum ouium, tum animarum, vt probè cognoscere studeant, quos regendos suscipiunt: *Diligenter*, inquit, *agnosce vultum pecoris tui, tuosq; greges considera;* non perfun-

O 3

etorie



storiè scilicet, sed diligenter, neque  
 ex obscuris tantùm notis, aut tenui-  
 bus vestigiis, sed ex vultu, qui spe-  
 culum est animi; atq; ita nôrat sua  
 ouiculas Euangelicus bono ille Pastor  
 vt etiam nominatim singulas educa-  
 ret. Maximè autem cura, & diligen-  
 tia adhibenda, vt eas agnoscat, qua  
 scabiosæ & morbidæ sunt, ne reliqua  
 de grege inficiant. Itaque in primis tibi  
 attendendum exteris, qui secum cor-  
 ruptelam, & labem inuehunt, moros  
 inquam, deprauatos, primò latentem  
 deinde patentem animarum pestem  
 quare, quinam, vnde & quorsum  
 Alienigenæ in tuum ouile irrumpant  
 vigil, sedulusque explora, præsertim si  
 non obiter hospitaturi aduentent, sed  
 sedem, domiciliûmque fixuri: Inquire  
 igitur de statu, solutine sint, an con-  
 iugati, quos habeant in familiâ, cuius  
 artis, cuius religionis, quorum morum,  
 quas literas habeant vitæ probæ testes,  
 præsertim si homines viles appareant,

vaga



vagabundi, aut qui inter gregarios milites aliquandiu vixerint. Porrò tria sunt potissimum genera scabiosorum hominum, qui à corruptelâ, & contagione alios maximè corrumpunt; neque Aduenæ soli, sed etiam non rarò Inquilini, & quidem, sub ouinâ nonnunquam pelle, lupi animarum: quibus noscendis primùm incumbere debes, tum verò studere, vt vel ex lupiscues euadant, vel in suâ pelle appareant, fugiantur, & nocere desinant.

Eiusmodi autem sunt homines meretricii, magicis artibus dediti, & omnium pessimi, hæretici, in quos propterea maiori curâ, & studio inuigilabis.

## NVM: II.

*De Meretricibus.*

**H**Æ lupæ plerumque in meritoriis tabernis, & Ganeonum gurgustis latitant, nonnunquam tamen in splendidioribus ædibus; vt hæ non



320 *Institutionum Pastoralium*  
ad vagas libidines se prostituunt; ut  
vt vni seruiant nomine pro ancillâ,  
pro concubinâ : inquire igitur dis-  
genter, an eiusmodi lupæ tuum cul-  
le infestent : si attendas, facilè depre-  
hendes ex corporis habitu, ex impu-  
dentiâ, ex digitis Iuuenum, qui mon-  
strant, *hæc est* : vestes supra modum  
opulentæ, & varii tum coloris, tum  
artis, frons effrons, oculi gyrouagi,  
genæ fucatae, cervix, & pectus inte-  
cta, manus inquietæ, incessus aut fra-  
cti, aut præcipitati, halitus oris ob-  
scœnitates eructat : has lupos arce  
procul à grege : modum scient Epi-  
scopus & Magistratus, censoriæ le-  
ges expellent.

NVM: III.

*Artes Superstitiosæ & Magica.*

**I**N hoc pestilens malum naturæ no-  
stræ corruptela, damnanda curiosi-  
tas, & amor insanus conseruandæ aut  
sanitatis, aut propriarum rerum spontè  
propen-



propensos, præcipites agit. Sunt verò non pauci, qui eas artes non modò in pagis, sed etiam in vrbibus, neque tantùm clàm, sed etiam palàm profitentur: plures etiam sunt, qui didicerint, & edoceant. In hac superstitionum hominum colluie sæpe deprehensi custodes ouium; qui vt lupos, aut morbos à pecore, vel hominibus arceant, vanis obseruationibus, herbis nonnunquam, aut Magicis rebus vtantur.

• Eòdem ferè pertinent fabri quidam ferrarii, qui equis curandis superstitiones ritus, & verba nonnulla sacra vsurpant: attendendum autem maximè aniculis, quæ schedulas, herbas, malas preces, morbis auertendis, aut pellendis, curandis vulneribus, ad partus felicitandos, ad euentus prosperos venditant, & verò emuntur. Iactantur etiam chartulæ aliorum, vt vocant, nominum Dei, vocibus Hebraicis, cruculis impressis, nonnunquam Bullis Summorum Pontificum,

O s

&amp;



& indulgentiis ementitis : quibus adde philtrea amatoria, maleficia Sagarum, Carmina Magorum, sortilegia, diuinationes. His pestibus deprehendendis, & extirpandis, vt res summi est momenti, ita acre studium, & grauem operam impendes, non tantum priuatim; sed etiam in id incumbes publicis concionibus, datâ, captâue occasione, in quibus populo ostendes primò grauitatem huius flagitii; crimen enim est læsæ Diuinæ Maiestatis in primo gradu, quippe rebellio, & defectio à Deo ad ipsius capitalem inimicum, & iuratum humanæ salutis hostem: secundò patefacies dæmonis nequitiam, fraudes, atque imposturas, qui cum sit pater mendacii, sæpe fallit, & illudit; vt experientia docuit in multis, qui cum spem suam in Magicis artibus posuissent, miserri-  
mè reperti sunt periisse cum suis schedis, & maleficiis; quod dæmon vnicè spectat & expectat; quòd si ali-  
quando

qua  
Deo  
anin  
lium  
ui &  
infa  
cùm  
diab  
Mal  
sine  
uere  
N  
natu  
pos  
rem  
Ima  
cere  
quib  
qui  
m



quando speratus effectus sequitur, Deo in poenam permittente, interim animæ pernicies creatur pro animalium, corporum, aut externorum leui & breui commodo, quæ maxima est insania. Rectius Vir quidam sapiens, cum ad morbum lethalem pellendum diabolica ei remedia proponerentur; Malo, inquit, cum DEO mori sine tali medico, quàm sine DEO vivere medico diabolo.

Neque verò desunt artes medicæ, & naturales, quæ sine culpâ adhiberi possint; aut varia Christianæ pietatis remedia, reliquiæ Sanctorum, sacræ Imagines, Aqua benedicta, Agnus cereus, preces ab Ecclesiâ probatæ: quibus, quando ita visum fuerit DEO, qui solus vitæ & necis Dominus est, morbi depelli, & incolumitas corporibus, & rebus nostris impetrari possit.

—(†)—

N 6

NVM:



## NVM: IV.

*De Hæreticis.*

**H**ÆC omnium teterrima est pestis: nam ipse eorum sermo, teste Apostolo, *ut cancer serpit*: est hic morbus gangræna, perniciosissimum malum: nam primò partem, quam occupat, corrumpit; mox viciniorem, & hæc sibi propinquam; donec cor, totumque hominem inficiat, & perdat: ita hæresis vnum primò, mox alterum atque alterum, tandem vitio se profeminante, integram communitatem venenat, atque corrumpit. quanto exitio animarum! *Arius*; inquit S. Hieronymus, *una scintilla fuit: quia non statim oppressa, totum Orbem eius flamma depopulata est.* Quare primos Christianos S. Ioannes, sollicitus pastor, monebat, cane peius, & angue, cauerent ab hæretico, eumque haberent pro excommunicato: *Non recipiatis*, inquebat, *in domum, neq; ei aue*  
dixe-



dixeritis. S. verò Cyprianus : Declinent, inquit, & euitent dilectissimi fratres nostri verba eorum, quorum sermo, ut cancer serpit; nulla cum talibus commercia, nulla conuiuia, nulla colloquia misceant, sintq; ab omnibus tam separati, quam illi ab Ecclesiâ profugi.

Quæres ex me, quid ergo mihi cum talibus aut spei, aut rei est? primò argue; argumentis, inquam, impugna, si ea arma tractare noueris; sin minùs, obsecra: Iuuit nonnunquam beneuolentiæ signa cum officiorum delatione ostendisse; est enim suauitas maxima animorum conciliatrix: si hæc non iuant, vsurpa pastoris, quâ polles, authoritatem; hoc enim etiam Apostolus monet. *Increpa*: abstinebis tamen à contumeliis, & conuitiis in hominem, & sceleris conuince; quòd tot damna Ecclesiæ intulerit, tot regnis vastitates, tot corporibus clades, tot animabus exitia Hæresis inuexerit. Reliqua Spiritus S. & Christiana pruden-



326 *Institutionum Pastoralium*  
dentia suggeret, si preces & consilia  
adhibueris; neque enim vna eademque  
est ratio conuersandi, tractandique  
cum hæreticis.

NVM: V.

*De libris obscenis, superstitiosis, hæreticis.*

SI verborum obscœnitas, si tradi-  
tio artis Magicæ, si hæreticorum,  
fermo tantum nocent, quantum vidi-  
mus, cum leui per aërem transitu  
aures, animosque tetigerint: quid fiet,  
si ista literis efformentur, prælo impri-  
mantur, edantur in lucem, euulgen-  
tur; atq; ita in oculis, manibus, sinu  
versentur, per otium sæpe sæpius au-  
diantur, legantur, memoriæ man-  
dentur; præsertim si stylus concinnus  
sit, & lepidus, si aspersi flosculi elo-  
quentiæ, luceat character, adiiciatur  
vestis è serico, & aureus, gemmeus-  
que umbilicus? vides in eiusmodi libris  
quantum misceatur, & propinetur  
venenum; pauca sigillatim perstringo.

Lace-



Lacedæmonii Archilochi, parùm  
pudici Poëtæ, libros exportari iuf-  
ferunt: prisci Romani lasciuos  
non Scriptores modò, sed etiam  
eos, qui iis fauerent, publicos grassa-  
tores appellârunt; Augustus Ouidium,  
Doctorem amoris, eiúsque Interpre-  
tes, quòd iuuenum animos corruppe-  
rent, in exilium misit. Concilii  
Tridentini hæc est Censura: *Libri, qui  
res lasciuas ex professo tractant, narrant,  
aut docent, cum non solùm fidei, sed &  
eorum, qui eiusmodi lectione facile cor-  
rumpi solent, omnino ratio habenda sit,  
prohibeantur; & qui eos habuerint, seuerè  
ab Episcopis puniantur.* Vbi nunc estis  
Censores & Prætores, vbi sanctæ le-  
ges? interim per portus, & portas  
urbium, in officinas Bibliopolarum,  
in scrinia, in manus, in sinus inue-  
huntur turpes & infames libri, imò  
venduntur in nudinis, & foris; aut à  
circumforaneis, etiam propemodum  
aliis inuitis, ingeruntur. Iam verò de  
libris

libris



libris superstitiosis, ac Magicis acrius  
iudicium, suppliciumque ferri par es-  
set, quòd grauius noceant; Diaboli-  
cas enim artes maiori pernicie euul-  
gant. Certè Magus ille celebris, quem  
S. Augustinus conuertit, codices suos  
incendendos attulit, per quos ( vt  
ipse Augustinus refert ) fuerat incen-  
dendus; vt illis in ignem missis, ipse  
in refrigerium transfiret. Honorius  
certè, & Theodosius Imperatores san-  
ctissimis decretis sanxerunt, eiusmodi  
libros in oculis Episcoporum combu-  
rendos: sed nihil in hoc genere anti-  
quius, aut sanctius, quàm quod refert  
S. Lucas in Actis Apostolorum; mul-  
tos, qui fuerant curiosa sectati, con-  
tulisse libros suos, & combussisse eo  
numero, ac pretio, vt æstimatio fue-  
rit denariorum quinquaginta millium.  
Græcus & Syrus habent, argenti quin-  
que myriadum, id est ( vt Budeo pla-  
cet ) quinies mille aureos nostræ pe-  
cuniæ: nimirum noxa, quam eiusmodi  
di



di libri inferunt, nullo pretio satis  
compensari potest.

Sequuntur libri hæretici omnium,  
perniciosissimi: nam fidem ipsam, to-  
tius Religionis, omniumque virtu-  
tum fundamentum, planè euertunt.  
S. Gregorius Nanzianzenus eos Aspi-  
dum oua appellat, quod serpentum  
genus est venenatissimum: vt enim ex  
ouis Aspidum Aspides; ita ex Hære-  
ticorum libris Hæreses enascuntur: vt  
meritò perpetua Ecclesiæ consuetu-  
do, & nunc etiam lex sit, hæretico-  
rum libros non minori pœnâ, quàm  
incendio puniendos: Ita Concilium  
Nicenum Arii libros igni addixit:  
Constantinus Imperator idem de aliis  
fieri iussit, propositâ etiam pœnâ ca-  
pitis, si quis eos occultâset. Theodo-  
sius libros Nestorii ad ignem quoque  
condemnavit; Valentinianus, & Mar-  
cianus sanxerunt, ne Eutycheus libros  
quis legere, aut habere auderet; sed  
diligentissimè quæsitî cremarentur.

Deni-



Denique Concilium Tridentinum indicem librorum hæreticorum confecit; vt omnes scirent, qui essent exurendi. Quid, inquires, ista ad me, aliosue Parochos? viderint fidei Inquisitores, & Episcopi. Verum quidem est, iudiciariam potestatem, & poenam coërcitiuam propriè ad inquisitores, aut Episcopos pertinere; tamen tua, & cæterorum cura esse debet, vt à grege tuo perniciem arceas, si bono modo possis: neque verò desunt subinde modi, quibus vti liceat. Si probabiliter suspiceris, penès aliquem libros eiusmodi vetitos retineri; indaga prudenter modum, quo in manus tuas veniant: tum persuadee iis, ad quos pertinent, vt in hac re Ecclesiæ pareant, eosque igne, vel aliter perdant: si nolint; fac, vt tibi permittant: si hoc etiam recusent, vt ere tuo iure, quò licet arma, aut venenum non reddere ei, qui abuti velit; facias tamen, vt is non putet te seruare vel-

le



le in tuos vsus; vim caue, ne adhibeas,  
neque tumultus excites: hæc si times,  
rem totam defer Episcopo: suffecerit  
tibi te officio functum fuisse.

C A P V T IV.

De Curâ afflictarum ouium, si-  
ue miserabilium personarum.

NVM: I.

*Obligatio iuuandi miseros.*

Sicut in gregē oues afflictæ maio-  
rem, & impensio-rem opem à pa-  
store suo exigunt, vt ouiculæ illæ  
erant apud Ezechielem infirmæ, agro-  
ræ, contractæ, abiectæ: Ita in paro-  
chiis personæ miserabiles; cuiusmodi  
sunt Pauperes, præsertim si infirmi,  
Viduæ, Pupilli, Orphani, incarcerati,  
aliique ab omni auxilio deserti ho-  
mines, atque à potentioribus oppres-  
si, à suis Parochis opem, operamque  
peculiarem deposcunt, singularique  
iure expectant: Nam etsi Christiana  
charitas



charitas hoc officium etiam à cæteris repetat ; meritò tamen Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. de Ref. id propriè à Parochis requirit : *Cum præcepto, inquit, diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, & pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere; Sacrosancta Synodus eos admonet, & adhortatur; ut diuinorum præceptorum memores, gregem suum pascant.*

Inquires igitur diligenter, ( hoc enim primum est ) quænam sint inter tuos personæ miserabiles, id est, quæ commiserationem meritò commoueant, dignæq; sint, quarum miseriam subleues operibus misericordiæ, quæ Christus ipse in Euangelio suis commendat; & sibi ipsi in miseriis exhiberi profitetur; de quibus Lactantius in Epitome Diuinarum Institutionum hæc enumerat: *Si quis, ait, victu indiget, impertiamur; si quis nudus occurrit, vestiamus;*



*stiamus; si quis à potentiore iniuriam sustinet, eruamus: pateat domicilium nostrum vel Peregrinis, vel indigentibus tecto, Pupillis defensio, Viduis Tutela nostra non desit: redimere ab hoste Captiuos, magnum misericordiae opus est; item agros visitare, fouere inopes, aut pauperes: si obiuerint, non patiamur insepultos iacere. Hæc etsi cæteris communia esse debent; singulariter tamen ad te propius spectant, qui hoc munus tibi fecisti proprium, cum suscepisti personam Pastoris.*

## NVM: II.

*Cura Pauperum.*

**Q**Via hoc hominum genus præ cæteris habetur vile, abiectum, & à quibus nihil speretur, vel parùm; ut opibus, ita aliorum auxiliis destituuntur: quò fit, ut facilè omnium iniuriis pateant, nullòque negotio, præsertim à potentioribus, opprimantur; tum verò maximè, si in ius trahantur:



hantur ; nam etsi æquitate causæ fa-  
 perent , quia tamen nemo est , qui Pa-  
 trocinium , aut defensionem suscipere  
 velit , iudiciorum iudiciumque ini-  
 quitate proteruntur , nisi Deus ipse  
 ( quod facere solet ) patronus assistat,  
 ipsosque iudices in iudicium vocet,  
 idem pauperis Defensor , & Vindex ;  
 quare pauperum oppressores illos  
 monet Sapiens : *Non facies violentiam*  
*pauperi, neq; conteras egenos in porta* (hic  
 erat iudæis locus iudiciorum) *quia,*  
*inquit, indicabit Dominus causam ipsius,*  
*& configet eos, qui confixerunt animam*  
*eius.* Grauis sententia ! pauper , quia  
 pauper , tueri se contra vim poten-  
 tiorum non potest ; ergo honoris , cor-  
 poris , tenuissimarum , si quæ reliquæ  
 sint , fortunarum causâ , per vim ad  
 Tribunalia trahitur , & ( quod desti-  
 tuto ab omnibus facillimum est ) pro-  
 sternitur ; at ecce cùm homines de-  
 sunt , adest DEVS , non Patronus mo-  
 dò Pauperum , sed iniquorum Iudicum



Iudex, eosq; de iniquitate convictos, qui Christum in pauperibus crucifigebant, poenâ talionis configit, & ad crucem, & certè ad graues, nonnunquam ad sempiternos cruciatus, iustissimâ poenâ confixos addicit. Non sum ego, inquires aut Aduocatus causarum, aut Iudex, qui pauperum causas suscipiam, aut tuear; multò minùs, qui pro illis sententiam proferre possim: imò verò fac, vt sis; & certè potes. Hoc Deus, cuius in hoc negotio vices geris, hoc à te ius muneris pastoralis deposcit: primùm, quidni pro suggestu declamitas, in pauperum oppressores, in Iudices corruptos? quidni Aduocatos vrges, vt luones sint, miserorum causas gratis suscipiant, & contra vim potentiorum tueantur? in hanc sanè concionem multa tibi suggerent sacra literæ, & sancti patres: quidni præterea, si quando noueris pauperem quempiam iniquo iudicio vexari, aut periclitari ipsius innocentiam, ipse  
boni



boni viri fidem, & patrociniū im-  
 ploras, ipsum Iudicem adis, æquita-  
 tēmq; commendas? Porrò alia qua-  
 dam est pauperum miseria, iudiciorū  
 iniquitate frequentior, & communior,  
 quàm faciliùs subleuare possis, inopia  
 scilicet ipsa, & paupertas. Atqui hæc  
 tibi cura eò magis incumbit, quò ma-  
 gis hoc tibi competit nomen, *pater  
 pauperum*. Et habes in hoc genere  
 præclara Pastorum exempla, quæ imi-  
 teris; Gregorios magnos, Ioannes E-  
 leëmofynarios, Basilios, Thaumatur-  
 gos, Paulinos Nolanos, Carolos Bor-  
 romæos: habes præterea ad imitandum  
 acres stimulos ex virtutis huius com-  
 mendatione, ex sacris Literis, ex san-  
 ctis Patribus, & rationum momentis;  
 profectò subleuare miseriam inopum  
 tam homini innatum, quàm hominem  
 esse; hæc enim propriè est humanitas,  
 imò supra humanum quidpiam, &  
 planè diuinum. *Nihil tam diuinum ho-  
 mo habet*, inquit Gregorius Nazian:  
 quàm



quàm de aliis bene mereri: fac calamitosis  
 sis Deus, diuinam misericordiam imitan-  
 do. Lex diuina est: Præcipio tibi, ut ape-  
 rias manum fratri tuo, & pauperi; frange  
 esurienti panem tuum, egenos, vagosq; in-  
 duc in domum tuam, cùm videris nudum,  
 operi eum: vno verbo, date Eleemosynam.  
 Nihil certius isto oraculo: Date, & dabi-  
 tur. Hac ars omniũ artium quæstuosissima  
 est, inquit Chrysofomus, quâ datis par-  
 uis adipiscamur magna: dare parùm ar-  
 genti, & die illâ horribili audire verba,  
 nulli regno conferenda, Esurini & dedisti  
 mihi, quod comederem. Sat ista, inquis,  
 scio, & aliis concionari ipse soleo: sed  
 tu modum mihi suggeras, quo pauper  
 ipse pauperum miseras subleuare,  
 possim. Placet. Primò opinor, non  
 ita omnium rerum eges, vt duo sal-  
 tem minuta tibi non supersint, quæ  
 conferas in Gazophylacium: deinde  
 etiam, opinor, nôsti præceptum To-  
 biæ senioris ad filium: *Quomodo pote-  
 ris, ita esto misericors; si multum tibi fue-*

P

rit,



338 *Institutionum Pastoralium*  
rit, abundanter tribue; si exiguum, etiam  
*exiguum impertiri stude.* Fortè habe  
duas tunicas, fortè mensam super  
fluam, & supererit aliquid, si luxum  
vestium, luculentam supellectilem,  
sumptuosiora conuiuia non nihil casti  
gaueris; si contentus sis habere, que  
viuas, & vestiare: nam, quæ S. Hiero  
nymi sententia est, *si plus habes, quam  
tibi ad victum, vestitumq, necessarium est,  
illud eroga, & in illo debitorem te esse nu  
neris.* Sanctus Ambrosius etiam Cali  
ces, & sacra Vasa comminuenda cen  
sebat, si ea esset pauperum necessitas.  
Quòd si tandem tam egenus sis, ut  
conferre ipse nihil, aut parùm possis  
ditioribus publicè, & priuatim pau  
peres impensè comenda; & cum Ma  
gistratu age, ut, quod Apostoli facie  
bant, colligatur per domos, quod in  
egenos conferatur: si quæ verò fun  
dationes sint in pauperum vsus factæ,  
cura, ut in eos impendantur, non  
auertantur aliò, aut malè impendantur.  
Neque



Neque deerunt alii modi, si ingeniosa charitas excogitet. Scio alicubi consuetum fuisse, & cum conuiuia genialia agitabantur, ex ferculis appositis, in lances seponerentur particulae ex melioribus cibis, quae deinde transmittentur ad pauperum, praesertim infirmorum, domos: alibi fuisse quosdam constitutos, qui in familias pauperum inquirerent, quorum si paupertas minus nota erat, ut quos mendicare merito pueret, clam iis de necessariis prouideretur. Hic vix me contineo, quin inuehar in Parochos diuites, qui ita cumulandis opibus vacant, ut dum viuunt, consanguineos, & familiares ditent, aut cum obierint, testamento iis, etsi pauperes non sint, & quidem ex bonis ipsis Ecclesiasticis plurimum relinquunt: quod facinus vehementer exagitant SS. Patres, qui facultates Ecclesiarum pro patrimonio pauperum, & res pauperum non pauperibus dare, pro cri-



mine sacrilegii habent. Non ita optimi Pastores olim testamenta, aut haeredes scribebant. S. Ioannes Alexandrinus hoc testamentum sibi condidit; *Ago tibi gratias, Domine Deus meus, quod me dignum censueris, qui tua offerrem, & quod ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum, nisi tertium denarii, quem ipsum iubeo etiam dari pauperibus, qui sunt fratres mei in Christo.* At verò S. Augustinus ne testatus quidem est; nisi hoc habere velis pro testamento. *Augustinus testamentum nullum fecit; quia unde faceret, pauper Christi non habuit.*

## NVM: III.

*Orphani, Pupilli, Viduae.*

**Q**UOD inopia, & egestas in pauperibus facit, ut eorum causa deferantur, aut prodantur; facit in Orphanis, Pupillis & Viduis vel aetatibus, vel sexus imbecillitas: hinc enim facile illis etiam evenit, ut calumniis, & in-



& iniuriis potentiorum hominum impetantur? neque tamen contra se tueri possint; ideoque harum quoque miserabilium personarum Deus peculiarem, utpote ipsi relictarum, curam suscipit; idque nos Sacrae literae docent: *Ne attingas (inquit Sapiens) parvulorum terminos, & agrum pupillorum non introeas; propinquus enim illorum fortis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum.* Vbi non tantum lapidem terminalem prohibet loco moveri, sed ne quidem digito attingi: agrum vero, qui ad Orphanos, aut Pupillos pertinet, non modo non possideri vetat, sed ne quidem introiri, aut pede adiri sinit: alioquin quantumvis ipsi imbecilles, & abiecti sint, propinquum habituros Curatorem, Tutorumque fortissimum, neque alium profecto, quam Deum, qui ipsemet eorum res, & causam suscipiat, & pro iis contra iniquos inuasores litiget; imo tanquam iudex summus eos iudicet, & vindicet: quod



idem de viduis pronuntiat idem Sa-  
piens: *Dominus firmos faciet terminos  
vidua; ne quis scilicet eos mouere  
audeat, aut valeat. Quæ sententia  
Ambrosium mouit, vt diceret: Fides  
exhibenda est omnibus; sed maior causa  
Viduarum apud Deum: igitur iure me-  
ritissimo, in omni bene institutâ repub.  
Orphanorum pupillorûmque cum Tu-  
telæ, tum Clientelæ, & Viduarum de-  
fensio Magistratibus, quasi Protecto-  
ribus, Dei Vicariis committuntur.*

Romani certè è conuiujs nuptia-  
libus, & Triumphalibus in Viduas, &  
Orphanos sportulas diuidebant; &  
apud nonnullas alias gentes, Viri  
principes signo dato, Viduas, & Pupil-  
los conuocabant, vt iis mensæ reli-  
quæ diuiderentur. At ego, inquit,  
nec Tutor sum, neque Curator. Esse ta-  
men potes; fac, vt sis: saltem pro  
Concione Pupillorum, Orphanorum,  
Viduarum apud populum causas age,  
& alijs commenda: contra eorum  
oppress-



oppressores declama, si quem nōris ē  
tuis eo vitio notari. Iuonem age; fa-  
tis eris disertus, & peritus legum, vt  
æquitatem iudicii commendes; & vt  
desistant, diuinam iustitiam intenta.

## NVM: IV.

*Xenodochium, Nosocomium, Carcer.*

HÆc quoque non tantum ex com-  
muni causâ Christianæ charita-  
tis, ac misericordiæ, sed etiã ex pastorali  
officio ad te, tuamq; curam pertinent;  
vt peregrinis, præsertim pauperibus,  
aut in eo loco ignotis, cum hospitio,  
& victu carent, de tecto, & paupere  
saltem alimento prouisum sit: præ-  
terea vt infirmi, quibus neque locu-  
lus, neque foculus, neque lectulus,  
neque vitæ necessaria suppetunt, Chri-  
stianâ pietate subleuentur; denique  
vt in carceribus, & vinculis deten-  
ti solatio, & cum opus est, tuâ, alio-  
rumque ope iuuentur; atque in pri-  
mis, vti peregrinos benignè exci-



pere, & pro ipsorum conditione bene habere, humanitatis virtus est: ita inhospitalitas, ferinum est vitium. Gentiles ipsi Diuam Hospitalitatem pro numine habebant, vetabantque eam ob rem hospites lædi; ne hospitalis Iupiter, diuinâ ope per preces imploratâ, fulminaret, hospitalitatis violatæ ultor. *Disce tu Christiane, inquit S. Augustinus, exhibere hospitalitatem, ne fortè cui domum clauseris, cui humanitatem negaueris, ipse sit Deus.* Audi præterea quid S. Ambrosius: *Tanta, ait, apud Deum hospitalitatis est gratia, ut ne potus quidem aqua frigida premiis remunerariis immunis sit: vides, quia Abraham Deum recipit hospitio, dum hospites querit: vides, quia Loth Angelos recipit: unde scis, an tu cum recipis hominem, suscipias Christum; licet in hospite Christus sit, quia Christus in paupere est: hospes eram, inquit.* Sed tu non communia Christianis, sed Pastoribus animarum propria desideras: Concil.

Tri-



Tridentin. monet Beneficiarios, inter quos sunt Parochi, vt pro ratione prouentuum hospitalitatem exercent. Apostoli sententia est: Oportet Episcopum Hospitalem esse: Non sum, inquires, Episcopus; ac ne quidem fieri desidero: sed tamen Pastorem te esse memineris: Bonus Pastor ouiculam etiam alieni ouilis colligeret, & quando esset opus, suis septis, & stabulo receptam reficeret. Sed proferam nunc, quod te attingit propriissimè. Burchardus Episcopus Volmariensis, in iis, quæ edidit decretis, vrget Episcopos in solemnibus visitationibus Parochiarum, in quibus de grauibus criminibus inquiritur, vt ex officio, quasi de crimine interrogent; num aliqui sint in Parochiâ, qui ad se venientibus peregrinis hospitium negant: quâ ille te poenâ mulctaret, si ipse, qui pascere debes, inhospitalitatis, quasi enormis criminis, reus accusareris? Quare ne officio desis, pro concione popul-



lum excita, ut peregrinos, praesertim inopes tecto, & vulgari saltem cibo excipiant; & ut exemplo praeeas, tu ipse, pro tuo modulo, & prout res exigit, excipe, praesertim aduenas Sacerdotes, & homines Religiosos: Eos enim aliunde quaeritare hospitium, aut iis a te hospitalitatis gratiam negari, turpe est. Praeterea, si quae hospitalia a maioribus fundata sint, attende, ne prouentus ad alios usus auertantur: Si nulla sint instituta, da operam, ut aliqua erigantur: qua de re eum Domino loci, Senatu, & Episcopo consilium capias. Sed multo etiam maiori cura Nosocomiorum, pro infirmis pauperibus, habenda ratio: quod non modo careant opibus, quibus necessaria conquirant; sed & morbo premantur, ne se ipsos iuuare possint, & in mortis periculum coniiciantur, si sint neglecti.

Quare eos saepius visitabis, curabisque tum aliis rebus, tum maxime, ne Sacramen-

men-



mentis Ecclesiæ careant: quod ne accidat, consultissimum foret, neminem eò admittere, quin priùs ritè confessus sit, & quàm primùm licuerit, Sacram Eucharistiam sumpserit.

Leges in bene constitutis cùm Xenodochiis, tum Nosocomiis, ea continere debent, quæ tum ad domesticam disciplinam, & eorum, qui eam administrant, officium pertinent; tum quæ peregrinis vel infirmis, quamdiu ibi versantur, facienda incumbunt; ut sunt quædam Christianæ pietatis officia, & obsequia erga benefactores: Manè, & Vesperi statæ preces, tum in communi, tum priuacim: rebus diuinis interesse, certis diebus confiteri, & Sacram Eucharistiam sumere; & si quæ alia accommodata loco videbuntur.

Restat carcer, in quo libertate ( magno hominis bono ) amissâ clausi, vinctique detinentur: quæ miseria, ut magna est, ita pastoris etiam singularem misericordiam, opemque implorat.



Muneris igitur hoc etiam tui erit, captiuos inuisere, solari, quâ poteris ope iuuare, præsertim si consilii, & rerum egentes sint, atque ab aliis deserti, tum verò maximè, si iniquè ab aliis opprimantur.

Quòd si Crimen capitale inferatur, & reus extremi supplicii accersatur, caue tu, ne vel facinus exaggeres, vel denunties decretam mortem: eo nuntio hominem percelles, & à te alienabis: quòd si grauitatem sui flagitii, & impendens capiti malum ipsemet agnoscat, & deploret, monebis; vt in primis numen sibi propitiet, scilicet pius actum Amoris Dei, & veræ Contritionis eliciat, ex formulâ, quam scripto trades; Dei Matrem, Tutelarem Angelum, Patronos cælites precibus, & votis deuinciat; offeres, si quid aduersi contigerit ipsi, vxori, liberis, quidquid opis, & operæ poteris. Interim fortî, generosoque animo à Diuinæ Prouidentiae manu sententiam expe-



expectet, atque ad omnem euentum se  
comparet. Confessionem tamen pec-  
catorum excipere necdum fortè expe-  
dierit, ne metu frangendi sigilli, vel ali-  
quid iam celet, vel postea fidem fra-  
ctam incuset, nisi fortè ipse Confessa-  
rium vrgeret vehementer ad Confes-  
sionem Sacramentalem præmittendam:  
inuisendus interim carcer sæpius,  
quò citiùs creditur finiendus Iudicia-  
lis processus. Statim verò atque sup-  
plicium illi denuntiatum erit, iam  
toto conatu laborandum, vt cùm de  
corpore actum sit, animæ consulatur:  
plerumque initio difficile est ita Reum  
componere, ne iudicem ipse iniusti-  
tiæ arguat, aut, vt mortem æquo ani-  
mo acceptet; varia paulatim sugge-  
renda, cum multo sale prudentiæ, vt  
sensim ad æquitatem & necessitatem  
subeundam inflectatur: temporis pa-  
rùm superesse, iam tandem studendum  
æternitati; non fore mortem adeò  
ipsi, vel suis, quos relinquit infamem;



si eam poenitudo, & animi moderatio honestet, atque apud alios commendet: tum Confessio, & Sacra Communio tempestiuè vrgenda, curandùmque, vt nunquam desint, qui piis monitis, breuibus oratiunculis iam labentem erigant, spe præsertim cælestis patriæ, & beatitudinis; quamquam si durior est animus, proponendi etiam erunt inferorum cruciatus æterni. Attendendum autem, ne, dum ducitur, vel vino, vel aliâ causâ in scurriles iocos & facetias ad supplicium, quasi histrio ad theatrum eat; quæ res spectatores grauitè offendit. Cauendum præterea, ne concionabundus ad Magistratum, aut populum aliqua ineptè effuciat.

Multùm iuuerit inter ducendum passionem Christi per partes, veluti per septem Stationes, menti obiicere. Primò: Quæ in Horto. Tum quæ ad Annam. Tum quæ in domo Caiphæ. Quid in Prætorio Pilati. Quid apud Hero-



Herodem : quid ad crudelem Colum-  
nam : Denique quid post iter cruen-  
tum cum Cruce in Caluariâ actum sit  
à Carnificibus. Quid verò à Christo  
pro nobis toleratum, & quantâ cum  
humilitate, patientiâ, constantiâ.  
Quid postremò ipse inter irrisiones,  
& probra moriens dixerit : *Pater igno-  
sce illis. Hodie mecum eris in Paradiso.*  
*Ecce Mater tua. Sitio. Deus, Deus meus.*  
*Consummatum est* : Et in extremo spiri-  
tu. *In manus tuas Domine commendo spi-  
ritum meum.* Hæc suaviter, & fortiter  
afficiunt; tunc etiam magis, si è collo  
Marianum Rosarium, si in manu Cru-  
cifixi Effigies, & Numisma benedictum  
sit. Cùm aduertes iam iam imminere  
extremum supplicium, petes, ad au-  
rem verbo, vel alio signo innuat, an  
conscientiam aliquid excruciet; &  
licet nihil angat, vt saltem significet,  
an cupiat postremò absolui in genere,  
à suis peccatis, quod fieri potest, vix  
cæteris aduertentibus. De quâ re an-  
tea

tea



tea præmonendus fuerit, ut maiori cum securitate vitam finiat: denique sacratissima nomina (saltem corde) proferat ad lucrandas sacro numismate indulgentias. quàm primùm exspirârit, breui exhortatiunculâ ad populum Animam precibus, & sacrificiis commendabis. Si iudex permiserit corpus sacrae Sepulturæ, curabis terræ tradi Christiano more. Quam in rem conferunt opem, institutæ quibusdam in locis mortuorum Confraternitates: quas in Parochiâ institui laudabile est, pro iis generatim, qui inopes moriuntur; ut suus etiam illis sepulturæ honos sit.

Plus negotii & molestiæ suscipiendum erit, si ii, qui morte affiendi, necdum Christiani, vel certè Hæretici vixerint hactenus. Tempestivè, & seriò agendum, etiam spatio, si opus fuerit, à iudicibus impetrato. Varii ad conferendam operam submittendi: tentanda omnia. Quòd si neque  
 sic



maiori  
ique  
orde)  
numi-  
mum.  
ulâ ad  
sacri-  
rmise-  
urabis  
uam  
e qui-  
onfra-  
stitui  
, qui  
n illis  
ipien-  
endi,  
retici  
& se-  
opus  
Varii  
tten-  
neque  
sic

fic quidem ad veram religionem, & bonam mortem induci possint, persistendum tamen vsque ad mortem: Docuit experientia, aliquos in extremo ipso spiritu Baptismum, aut Pœnitentiæ Sacramentum expetiuisse: & licet non petant, laus tamen, & commendatio non vulgaris erit, etiam hîc præstitum officium boni Pastoris, neque desideratum fuisse.

C A P V T V.

Conuersatio cum Parochianis.

N V M : I.

*Quædam de Conuersatione generatim.*

Hoc Caput, caput est totius ferè vitæ Pastoralis: ex conuersatione enim spiritus quasi vitales in partes omnes officii dimanant, siquidem vita exemplaris, quam primâ parte proposuimus, & utilis Sacramentorum administratio, quam secundâ parte



parte profecuti sumus : Denique Con-  
cionum, Catecheseos, reliquarumque  
functionum Parochialium recta insti-  
tutio, quam hac parte tractamus, in  
conuersando ferè consistunt; adeò con-  
uersatio latè patet, & in bonam, aut  
malam partem summam habet vim.  
Quare plurimum refert, vt bene con-  
uersandi rationem percalleas; cùmque  
illa non nisi longo vsu comparetur, ex  
aliis addiscas, si ipse necdum vsum com-  
parâris. Ideo ero hîc paulò accuratio-  
r, vt in re tanti momenti optimè tibi,  
aliisque consulam Rectè enim S. Hie-  
ronymus: *In te oculi omnium dirigun-  
tur; Domus tua, & Conuersatio, quasi in  
speculo constituta, magistra est publicæ  
discipline.*

Atque duo in primis generaliora sunt,  
& veluti principia totius conuersatio-  
nis: primū est illud, quod iam in primâ  
parte proposuimus, exemplum bonæ  
vitæ: huius enim in Parocho ratio habē-  
da est maxima; si fructuosè versari inter  
suos



suos velit. Alterum est huius loci: Conciliatio beneuolentiæ erga Parochianos. Ita enim ferè quisque res æstimat, vt est affectus. Itaque si populum habes addictum, trahes, quò uoles; sequetur enim sponte: conciliantur autem animi potissimum beneficiis; nam redamant homines eos, quos sibi bene uelle uiderint. Id autem, exhibitione beneficiorum, & officiorum cognoscunt: pridem dictum à S. Gregorio: *Probatio Charitatis, exhibitio est operis.* Quòd si benefacere nō possis, necessum erit, vt in te saltem uideant propensam ad benefaciendum uoluntatem: id vt nos doceret Christus, sibi omnes, etiam aduersarios benefaciendo, & sanādo demereri semper studuit: neque opus est, vt diutiùs hīc immorer; res ipsa, quantum ualeat, loquitur. Verūm particularia quædam sunt partim sectanda, partim fugienda in conuersatione cum Parochianis, quæ plusculū otii, & eruditionis requirunt.

NVM:



N V M : II.

*Conuersabere cum omnibus quidem, sed  
diuerso modo.*

**N**Egligendus tibi è tuis nemo, multò minùs quispiam contem-  
nendus : omnibus aliquid debes ;  
nobilibus, & plebeijs : eruditis, & ru-  
dibus : diuitibus, & egenis : sanis, &  
infirmis : pueris, & adultis : senibus,  
omni ætati, vtrique sexui ; neque pro-  
bis tantùm, sed etiam improbis. Habes  
præclara exempla : **D E V S** respuit ne-  
minem. **Christus** in omnium salu-  
tem incubuit. **Paulus** fiebat omnia  
omnibus ; etiam ad scenofactoriæ artis  
pellionem diuertebat : neque **Petrus**  
magnus ille Pastor hospitari apud **Si-  
monem Coriarium** dedignabatur. Sed  
neque tamen cum omnibus semper,  
neque cum singulis eodem modo tra-  
ctandum : quando autem, & quomodo,  
à prudentiâ rerum agendarum ma-  
gistrâ exquirendum. Cum Nobili-  
bus



bus nolim te esse rusticum, nolim aulicum: ita age, vt adolescentiam tuam, nemo contemnat; ita viue, vt dignitati tuæ labem non inferas; neque tamen ita studiosè tuæ authoritatis sis retinens, vt Domino loci virisque primariis nihil vnquam concedas; memor sis dicti Apostoli: *Honorem, cui honorem.* Boni tui, & Ecclesiæ plurimum sanè refert, vt illos, qui in eo loco dominantur, tibi habeas adiunctos. Itaque canebis, ne temerè impetas, aut laceffas; rixas, aut lites excites. Quòd si contra authoritatem, vel immunitatem Ecclesiasticam aliquid attentent, aut moliantur; rationem allatis causis experire: si nihil proficis, præmissa protestatione, quòd non ducaris, nisi studio diuini honoris, rem controuersam deferas ad Episcopi tribunal; neq; interim re vllâ, ac ne verbo quidem, læde; imò conare officiis demereri. Iam verò plebeios, rudes, egenos, aliòsue miserio-

ris



ris fortunæ, aut vitæ etiam improbia-  
 ris, sic tracta, prout cuiusque ratio, &  
 utilitas postulabit. Nullus tibi debet  
 videri vilis, qui diuini sanguinis præ-  
 tio constitit. Pastor sis totius gregis,  
 etiam Agnelli, etiam Ouiculæ infir-  
 mæ, scabiosæ, errantes quoque ad te  
 pertinent. Pastor ille Euangelicus,  
 relictis nonaginta nouem, perditam  
 vnâ requirebat: & medici nusquam  
 magis conuersantur, quàm cum agris.  
 Christus, idem supremus Pastor, & Me-  
 dicus, venerat pro ouibus, quæ perie-  
 rant, & cum peccatoribus non con-  
 uersabatur modò, sed & familiariter  
 conuiebat: à quibus ipsi quidem, qui  
 nulli periculo suberat, minùs erat ca-  
 uendum; at hîc tibi maior adhibenda  
 cautela, ne dum ouem errantem re-  
 quiris, lupo te voret, aut lupo eua-  
 das. Periti medici, vbi regnant morbi  
 contagiosi, antidotis, & præcautio-  
 nibus student, ne luem ab aliis con-  
 trahant; quo in genere nihil magis

cauen-



cauendum, quàm à foeminis : quâ de  
re postea.

NVM: III.

*Mansuetudinem præcipuè in Conuersan-  
do sectare.*

**H**ÆC virtus, quam maximè à na-  
turâ nostrâ insitam habemus, pro-  
priè humanitas appellatur : eam qui  
exhibet, homo dicitur ; qui non  
habet, ferus. Nulli autem magis  
necessaria illa est, quàm iis, qui regunt ;  
quomodo enim reget alios, qui se priùs  
regere non didicerit ? Est autem man-  
suetudinis hoc munus : animi fero-  
ciam cohibere, verborum acrimoniam  
detergere, corporis motus effrænes  
componere : quod ubi effecerit, to-  
tisque homini imperârit, iam regi-  
na est cordium illorum, quibuscum  
conuersaris, & Suada animorum quid-  
uis ab illis, aut impetrabit, aut impe-  
rabit. Eam virtutem David Rex *spiri-  
tum principalem* appellat, quòd ma-  
ximè



ximè deceat Principem: Sic inter apes regulus aculeo caret, vulnerat neminem; purum, putum mel propinat. Ita Moyses ceruicosum, & difficilem populum facile inflectebat bonitate, quâ sanctus erat, & quâ verbis monstra ipsa placabat. Intelligis, quo studio mansuetudinem sectari debeas, quantumuis nonnunquam conuersandum tibi sit nonnullis cum agrestibus, ac feris, qui te laceffant, & bilem, stomachumque concitent; quibus etiam quandoque correctiones, & reprehensiones adhibendæ sint; tamen tunc etiam moderatio animi, verborum, gestuum retinenda, vt non excandescas, aut prorumpas in verba iniuriosa, aut nimium acerba, aut quæ hominem magis, quàm vitium impetant. Video te commoueri. Ergone, inquis, me Ouem ex Pastore facis, & Oues Lupos, vt me deuorent? ista Monachum fortasse deceant. At pastoris nomen, dignitatem, authoritatem tollunt,



lunt. Quid enim? si Parochum vident, præsertim ætate minùs venerabilem, animo placido, ore suavi, mellitis moribus, & vt vocas, mansuetum, quòdque necessarium erit, humilem, patientem: curatorem suum, non curant, imò floccipendunt. Neq; verò irasci semper peccatum est. Christus, si non iratus est, certè iram præ se tulit. Petrum Sathanam vocavit: Scribis, & Pharisæis sæpe *Va* intentavit: vendentes, & ementes in templo etiam verberibus incussis eiecit; nummulariorum mensas, & æs euertit. Quid plura? Ohe! mi bone vir, ne mihi irascere, nondum dixeram omnia, quæ volebam: non sum ita rudis, vt nesciam mansuetudinem, sicut cæteras virtutes, modum, mediúmque tenere; ex quo, si ad extrema hinc inde abeat, in vitium degeneret. Mansuetum te esse volui, non mollem; sed neque ferrum; Medicos, & Opiliones imitabere: Medici non semper, neque

Q

in



in omni morbo ferro, & igne vtuntur; si vtantur, lineamenta admouent, vt molestiam molliant: potiones amaræ, quando vis morbi patitur, melle, & saccharo illinunt. Medicus Evangelicus, vt vulneratum seminecem curaret, vini acrimoniam, & olei lenitudinem adhibuit. Similiter opiliones, dum lanam tondent, cutem non lacerant; si curant scabiem, vngues non impingunt; aberrantem ouiculam fistulâ reuocant, aut glebâ leuiter iniectâ; cum verò amissam recuperârint, non exdorsuant, aut exossant: exosculantur, sinu excipiunt, ac tandem in humeris reportant. Hoc modo Pastores bonum Pastorem effingunt, eamque effigiem antiqui sacrorum calices insculptam exhibent, & Archiepiscopale pallium, ex lanâ ouinâ humeris gestatum representat.

Quæ in Christo obiicis seueritatis exempla, quàm pauca, quàm rara, quàm mixta suauitate erant? Toto triennio,

quo



quo cum hominibus tam diuersorum humorum, & morum conuersatus est, vix ter, quaterue iracundiam præ se tulit: semel Petrum Sathanam; id est, sibi aduersum ( hoc enim Sathan significat ) tunc appellauit, cum à se crucem amoliretur, quàm leniter, & quàm leuiter, in causâ licet grauissimâ? Scribæ & Pharisæi iurati, & publici hostes Christum insectabantur, lenitate capi nolebant, carpi debuerunt. Carpsit Christus, neque tam illos, quàm publica illorum vitia, neque frequenter, neque nimis durè; cum vendentibus verò, & ementibus in templo quàm mansuetè actum? intolerabile erat facinus; Domus Dei fiebat forum non modò, sed etiam spelunca latronum; Zelo ardens diuini honoris Christus eiecit, arripit non flagrum, neque flagellum omnino, sed quasi flagellum; neque ex funibus, sed ex funiculis, &, quòd sciam, vulnerauit neminem; imò neque percussit, non mo-

Q2

dò



dò verberare, sed vix verbo: nam hæc nihil habent acerbitatis; *auferite ista hinc; hæc domus est orationis.* quòd si mensas deiecit, non effregit; effudit res, non rapuit. Nunc confer ista cum totius vitæ Christi decursu, reperiet expressum, quod Isaias vaticinans prædixerat: *Non clamabit, non contendet; non audietur vox eius foris: calammum contritum non conteret, & linum fumigans non extinguet: cum veritatem educet iudicium: neq; erit tristis, neq; turbulentus.* Discipulos rudes, & subinde molestos, quàm benignè, quàm patienter tulit? cum peccatoribus maximis conuiuabatur; tantum abest, vt durè eos tractaret. Lege conciones, quas habuit, rostro, vngue, aculeis carent; vt meritò se mansuetudinis Magistrum profiteatur: *Discite à me, quia mitis sum;* sed nunquã id docuit magis, quàm sub finem vitæ; vbi maximè irasci, si aliquando oportuit, iam oportuerat: retexe historiam Christi patienter



patientis: *Si me queritis*, inquit, *finite*  
*hos abire: si bene locutus sum, quid me*  
*cadis: Filius Dei sum; amodò videbitis:*  
apud Pilatum verò falsò accusatus,  
flagris concisus, & priùs ab Herode  
illusus, quid dixit? tacuit. In cruce  
locutus est inter horrendos cruciatus,  
& opprobria, & irrisiones, verba se-  
ptem; nullum felle, quod propinaba-  
tur, illitum: denique inclinato capite  
loqui & viuere desiit; neque tamen  
tot, & tantis mansuetudinis exemplis  
dignitatem suam, authoritatè me im-  
minuit; imò auxit plurimùm: error  
ille est non virtutibus, mansuetudi-  
ne, humilitate, patientiâ; sed vitiis,  
feritate, fastu, impatientiâ, existima-  
tionem, & potestatem Parocho con-  
ciliari, aut conseruari. Nolim tamen  
putes tibi à me interdictum, vt bono  
nomini consulas; vt, si quis te infa-  
met, ne te iure tuo optimo tuearis:  
personæ enim publicæ famam negli-  
gere non licet; si id bono publico ob-

Q3

sit:



fit: sed tamen hæc ipsa iusta causa, & defensio intra leges Christianæ mansuetudinis, velur intra sacram lineam, concludi debet, ne exorbitet longius,

## NVM: IV.

*Fuge Comestationes, & lusus vetitos.*

**P**Astorem cum ouibus versari in popinis, computare, ludere, non modò contemptum parit, vt quævis nimia familiaritas; sed ipsi, & gregi (immanè quantum) nocet: quis nescit, quæ & quot flagitia istic repariantur? vbi crapulæ regnant, ebriitates, detractiones, iuramenta, per iuria, blasphemix, obscœnitates non modò verborum, sed etiam rerum, iurgia, pugnæ, cædes; tùm scilicet, cum ex morâ nouæ, & nouæ illecebræ gulam irritant, & ingluuiem; & mens, ac lingua largo potu non iam madet, sed mergitur. Quamobrem monet Sapiens eum, qui sapere velit: *Noli esse in conuiujs potatorum, nec in comestationi-*



tionibus. Quod monitum etsi ad omnes spectet, longè maximè ad Parochos, ob grauius scandalum; cùm passim occlamatur: *Ecce pastor, quasi vnus ex nobis, potator, aleator; dicit, non facit. vt* omittam, quæ alibi profecutus sum; & quàm turpe est, diu quæri Parochū, nec reperiri, nisi tandem in tabernā; inde extrahi ad res sacras; cùm iam mens titubat, memoria fallit, lingua hæret, manus, & pedes officium negant? ob has, opinor, causas, magnus ille Mediolanensium Pastor Ambrosius, licet inuitatus, fugiebat conuiuia; & alter illi par Hipponensis Antistes Augustinus, inter cetera mandabat suis, ne conuiujs interessent; Sanctus Hieronymus idem vetat, rationemque adfert: *quia facile contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium ire non recusat.* Bene est, inquis, sæpe aut non vocabor, aut reculabo: subinde ire expedit, vt si conuiuæ sint honesti; aut spes sit, præsentia Parochi coërcen-



dos conuiuas, ne in illa conuiuiorum  
 quæ reprehendis, vitia diffluant. Præ-  
 terea quid si inuitant Domini? quid  
 Magistratus, aut Viri primarij, quibus  
 si des repulsam, contumeliam, aut  
 probrum ingerere videaris? & hic  
 minus erit periculi. Ita tu quidem  
 ego hoc nescio: errat enim, qui putat  
 ea iam esse tempora, quæ Tobias,  
 quando cum timore Domini lætaban-  
 tur: aut Iudithæ, *cùm erat populus co-  
 medens secundùm faciem Sanctorum.* In  
 Aaronis potius sæculum recidimus,  
 cùm cœpit populus manducare, & bibere,  
 quid inde verò? & surrexit ludere, id  
 est, vitulum pro Deo colere: cùm greges  
 insanit, facilius fit, Pastorem primum  
 colludere cyathis, insanas vociferatio-  
 nes miscere; quàm surdis concionari,  
 aut insanis sana consilia dare. Insur-  
 git hinc Augustinus: *Quia aliqui, inquit,  
 etiam Clerici, qui hac deberent prohibe-  
 re, ipsi cogunt bibere aliquos, plusquàm  
 expedit, amodò incipiant, & se ipsos cor-  
 rigere,*



rigere, & alios castigare; ut, cum ante tribunal venerint, nec de sua, nec de aliorum ebrietate incurrant supplicium. Quod ad inuitationem Magnatum, & Optimum attinet, nescio, an ea etiam magis sit fugienda: & fit non raro, ut excusatio sit facilis; vocant enim subinde, venire nollent. Ita sentiebat Hieronymus: *Conuiuia vitanda sunt secularium; maxime eorum, qui honoribus trahunt; consolatores nos potius in mœroribus suis, quam conuiuas in prosperis noverint.* tum subdit: *Facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus, non recusat.* Deinde adiungit: *Nescio enim, quomodo etiam ipse, qui deprecatur, ut tribuat; cum acceperis, viliores te iudicat, & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te postea veneratur.* Quod si tamen subinde citra periculum, & scandalum, ut ad sis, graues causæ, componendarum litium, promouendæ religionis, inuitant, Sanctum Gregorium Nazianzenum imitabere; qui cum ve-

Q5

nera-



370 *Institutionum Pastoralium*  
nerationis gratiâ à Theodosio pio Im-  
peratore ad mensam inuitaretur, penè  
inuitus non tam ibat, quàm traheba-  
tur. Hinc hæc ipsius, cùm eâ impor-  
tunitate liber esset, exultantis animi  
congratulatio: *Non iam Imperatori, ut  
priùs, contubernalis erit Gregorius, atq;  
inter medios Epulones non erit tristis, ta-  
citusq; accumbens, agrè anhelitum du-  
cens, & edens seruilem in modum.*

Quòd si necessitas te ad conuiuium  
etiam, quantumuis Magnatum, com-  
pulerit, veniatúrque ad insanos sanita-  
tum calices, & prouocationes ad gran-  
des, æqualésq; haustus, caue ne respon-  
deas: memor istius Prophetæ: *Va, qui po-  
tum dat Amico, mittens fel suum, & in-  
brians: genus crudelitatis est, sub ami-  
citiæ simbolo sanitatem alteri non da-  
re, sibi eripere. In quem inhumanum  
morem Sanctissimi Patres vehemen-  
ter excandescunt, Augustinus maxi-  
mè, & Ambrosius; Scythica hæc lex  
est, aut bibe, aut abi: In Assueri men-  
sâ*



sâ nemo alterum cogeat : eo tu expeditiorem recusandi viam reperies, quòd alii faciliùs id tuo statui concedent. Sed in genere conuiuiorum etsi vitanda ferè omnia, nulla tamen magis, quàm quæ nuptiarum causâ instituuntur : Sunt enim hîc maiores illecebræ, & præsentius periculum; vbi simul conuiuantur Bacchus, & Venus. Quare meritò ex Concilio Agathensi iure Canonico statutum; *ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi nuptiarum euitent conuiuia; nec his cœtibus misceantur, vbi amatoria cantantur. & turpia, aut obscœni motus corporum choreis, & saltationibus exhibentur.* Marchantius, in suo Horto, refert funestos duos casus, qui non pridem acciderant; Pastoris vnius, qui tabulato, vbi epulum erat nuptiale, dehiscente subitò infelix sub ruinâ oppressus, scyphum adhuc manu tenens expirauit: Alterius verò, qui simili ex causâ temulentus, dum ex loco editiore descenderet, per gra-



us corruit, neque multò post fractis  
ceruicibus miseram quoque animam  
exhalauit.

Abirem ex hoc conuiuiorum loco,  
nisi me tantisper lusoriæ tabellæ, tur-  
ricula, & fritilli, taxilli, schachi, &  
vetiti eiusmodi sub alearum nomine  
lusus detinerent: mirum, quàm seue-  
rè, & acriter Sancti Patres, præsertim  
Cyprianus, & Basilius aleas, & alea-  
tores exagitent, non tantùm propter  
temporis, & fortunarum damna; sed  
ob plurima, eaque grauiora scelera, quæ  
ludi vetiti secum ferunt: ideòque me-  
ritò Clerici lusores grauibus pœnis  
castigantur. Extat adhuc inter Apo-  
stolorum Canones, quos sexta Syno-  
dus recepit, hoc graue statutum:  
*Presbyter, aut Diaconus Alea, atq; Ebrivi-  
tati deseruiens, aut desinat, aut Commu-  
nionem priuetur.* Prohibet quoque Cæsa-  
rea lex Iustiniani Imperatoris, ne per-  
sonæ Ecclesiasticæ ad tabulas ludant,  
aut ludentibus se associant, aut spe-  
ctato-



Statores sint. Quid ergo, inquires; tam flagitiosum, tamque graue piaculum, est ludere, praesertim absque scandalo, absque graui temporis, aut æris iacturâ, salutisue periculo? consule tu, quos voles, & videris; certè faciliùs meo iudicio abstinebis omnino, quàm omnia pericula euites.

## NVM: V.

*Vitanda omnium maximè familiaritas cum foeminis.*

**H**ic si vsquam blanda pericula Sirenium, imò rabidæ Scyllæ, profundæ Charybdes, latentes Scopuli, & infamia multorum naufragiis Acroceraunia. Tritum adagio est; Mare, Ignis, Mulier, tria mala; sed tamen minùs tempestuosum est Mare, Ignis minùs inflammat, in Muliere omnia nocent. Oculi instar Basilisci, vel solo aspectu, venenant; labia, & ora flammam vomunt; vel leuis attactus inficit, & (quod atrocius est) Mulierem

Q7

rem



rem sacrae literae cum Leone, Vrfo, Pardo, Colubro, Serpente comparant; itaque nihil hoc malo nocentius, pau- ue, caue, praesertim in hac tuâ iuueni- li ætate, quæ cum straminea sit, nullo negotio ignem concipit. Eò autem magis cauere debes, quòd solemni Castitatis voto te diuino cultui ob- strinxeris; labi aliis peccatum quidem est, tibi enorme sacrilegium. Pronior autem est lapsus, quòd conuersatio- nis causâ obtendi soleat species ali- qua pietatis. Quid ergo agam, in- quies? monebas paulò superiùs, mihi conuersandum esse cum omnibus; ne- que aliter esse potest, quàm sæpe cum foeminis, aut certè abdicandum erit mihi munus Pastorale. Minimè ve- rò, neque enim prohibeo, ne conuer- seris, cum officium postulârit; sed ne familiariter agas; moneo autem vt cautè, vt castè. Audi, quid hac in re tibi SS. Patres praescribant, verba ipsa citabo, quò plus ponderis habe- ant.



ant. Cyprianus de singularitate Clericorum: *Sic ambulate, inquit, sic agite, ut semper Ecclesie Senatus candidus constet; Seueritas circa foeminas vigeat; Authoritas polleat, vigor teneatur, grauitas veneretur, & ubiq; gustanda est cum mulieribus, non continuanda praesentia; sed quasi transeuntes foeminis exhibenda est accessio, quodammodo fugitiua. Et Basiliius ad filium spiritualem: Cum foeminae ne velis uti longis, & otiosis fabulis. Et in constitutionibus monasticis: Si fieri possit, mulierum colloquia, congressusq; funditus fugiamus: sin id non possit, in eo enitendū est certè, ut quam rarissima illa, & quam breuissima sint. Iam verò sanctus Hieronymus ad Nepotianum: *Hospitiolum tuum, aut rarò, aut nunquā mulierum pedes terant; quòd si verò propter officium Clericatus aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Solus cum solā, secreto, & absq; arbitro, vel teste non sedeas:**

Ita



Ita Sancti Patres illi; quorum hæc est  
 summa: *Cum fœminis agito seuerè potius  
 quàm blandè: auctoritatem, vigorem,  
 grauitatèmq; conseruato: obiter, & quasi  
 per transfennam alloquitur: nec multa;  
 nec otiosa; imò rarissimè, & breuissimè.  
 In domum tuam non admittito, ipse vix  
 adito: nunquam solus cum solâ, loco occu-  
 to, absq; arbitro, vel teste confideto. En tibi  
 multa præcepta breui compendio:  
 paucula mox addam; quia res id po-  
 stulat.*

## CAPVT VI.

Administratio proprię familię.

NVM: I.

*Absint à Contubernio fœmine.*

**F**œminis, si domi in eodem contu-  
 bernio, & conuictu adsint, malum  
 præsentius esse non potest; iam enim  
 pesti sit in ipsis laribus, & penerrali-  
 bus: vtar hîc etiam verbis Sanctorum  
 Patrum, ne de meo rem auxisse vi-  
 dear;



dear; vt, *Cum feminâ semper esse* (loquitur Sanctus Bernardus) & non cognoscere foeminam, nonne plus est; quam mortuum suscitare; mox exponit periculum: *quotidie latus tuum ad latus inuenculae est in mensâ, lectus tuus ad lectum eius in camerâ; oculi tui ad oculos eius in colloquio; manus tuae ad manus ipsius in opere, & continens vis putari?* Sanctus Cyprianus magis apertè hunc scopulum ostendit, vt magis caueas: *Quid illic geritur? ubi libertatis sumit mulier in contubernalitate constantiam: quando in domesticis negotiis, nunc lacertos lanificis operibus nudat; nunc estuans detegit membra; nunc fatigata iactatur, aut in risum dissoluitur; nunc blanditias exhibet, & (quod est venenosius) psallere delectatur, aut canere; cuius cantu tolerabilius est audire Basiliscum sibilantem. tùm subdit; taceo reliqua, quae magis pudenda sunt, quam dicenda. Cauebo, inquires; mihi attendam. At lubrica spes est, inquit idem Cyprianus, quae inter fomenta pecca-*

pecca-



378 *Institutionum Pastoralium*  
peccati saluari se sperat: Impossibilis libe-  
ratio est flammis circumdari, nec ardet  
quod Salomon non negat, dicens: quis alle-  
gabit in sinu suo ignem, vestimenta autem  
sua non comburet? difficile quis venenum  
bibet, & vinet; verendum est dormienti  
in ripâ, ne cadat: Expedi plus bene time-  
re, quàm malè viuere. Quòd si quis dicit  
(verba sunt Basilii) ex assiduo se cum  
mulieribus colloquio, & conuictu non ad-  
modum lædi, hic sine dubio portentum est  
quoddam insolentissimum; & in vtriusq[ue]  
sexûs (ut ita dicam) confiniis posuñ. Vel-  
licat quoque tibi aurem sanctus Hie-  
ronymus: Quòd si dixeris, ait, mihi suffi-  
cit conscientia mea, habeo Deum Indi-  
cem, qui mea vitæ est testis, non curo, quid  
loquantur homines; audi Apostolum scri-  
bentem, providentes bona non solum cor-  
am Deo, sed etiam coram omnibus ho-  
minibus. Itaque vt nihil aliud subsit,  
hoc sat ingens est malum, quòd mali  
suspicionem alijs moueas. Audiatur  
hïc iterum Bernardus: *Continens vis pu-*  
*erari,*



tari, esto ut sis: sed ego suspicione non careos  
scandalo mihi es; tolle scandali causam,  
quo te probes verum, ut iactitas, Euange-  
lii emulatorem: si non vis scandalizare  
Ecclesiam, eice foeminam. Durum, in-  
quies, hoc, inhospitale, & propè in-  
humanum; quid ais? at quid si hoc  
Deus ipse præcipit? Scribit certè san-  
ctus Cyprianus, specialiter diuinâ re-  
velatione sibi præceptum à Deo fuis-  
se, ut mandaret, ne Clerici cum foe-  
minis commorentur. Sed tamen sci-  
mus, ais, per Canones Ecclesiasticos,  
Clericis saltem indulgeri commora-  
tionem cum Matre, Auiâ, Materterâ,  
Sororibus, aut neptibus; in quibus  
scilicet naturale foedus tollit sæui cri-  
minis suspensionem: fateor eis plus  
permitti; tamen consultius esset, nec  
has habere in contubernio. S. Augu-  
stinus, ne quidem germanam soro-  
rem admisit, quod diceret, *qua cum  
sorore meâ sunt, sorores meæ non sunt*; &  
S. Hieronymus Rustico Monacho  
sua-



suadet, ne vel Matri cohabitet; sentiebat mecum sanctus Gregorius, cuius hæc erat sententia: *omnes generationes ex familiâ exesse, quàm vel unicam adesse.* Hic verò velut in tragicâ Catastrophe exclamas: quis ergo cibos emet? qui coquet? quis euerret domum? quis vestes expurgabit? quis lectum, quis res alias componet? vbi lotrix? vbi cætera pro aliis ministeriis auxilia? Breuè te expediam hoc labyrintho: emet Emptror & coquus; nihil opus erit Emptrice aut coquâ; famulus cætera probè explebit: nihil opus erit ancillis: lotrix sit foris, puer feret lauanda, lota referet; ad quid ergo in familiâ famulæ? certè non desunt exempla eorum, qui careant: quidni sis ex illis vnus?

NVM: II.

*Domesticorum cura.*

**A** Postolus in Timotheo inter cæteras dotes, & virtutes Pastoris Ecclesiæ, id etiam requirit; vt sua domui



domui bene praesit: *Si quis enim, inquit, domui suae praesesse nescit; quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habebit? vult* Apostolus ( *vt sanctus Hieronymus interpretatur* ) Episcopum domum suam bene regere: non vt opes au-geat; non vt regias paret epulas; non vt celatas patinas struat, vt Phasiadis aues lentis vaporibus coquat artificii temperamento; sed vt, quod populo praecipiturus est, prius a domesticis exigat. Pergit idem Apostolus: *si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet: (scilicet eum corporis, tum animæ) eo facto, & ipso opere fidem negauit; quia et si fidem ipse retineat animo, occasionem tamen praebet infidelibus, Christum, & Christianos blasphemandi; imò verò infideli est deterior: nam infideles naturæ instinctu, & pietate naturali curam suorum gerunt; quippe natura, & ratio docent, vt domesticis praeter externis prospiciamus.*

mus.



382 *Institutionum Pastoralium*  
mus. *Quam ergo* (audis loquentem  
Chrysoftomum) patet locus detractio-  
ni, dicentibus gentibus, Christianos sine  
affectione esse, qui despiciant suos; quam  
enim turpe est, te extraneos instruere, &  
tuos in errore relinquere. Verum non  
est hinc meum, patrem familias opti-  
mis præceptis informare, longum  
hoc foret negotium; & tu ipse id ali-  
os doces: dicam tamen breuiter  
pauca pro meo instituto. In primis  
fac aliis præluceas bono exemplo;  
cum prudentiâ & mansuetudine præ-  
sis; de uinciâsque tuos potius benefi-  
ciis, quam uincias duris uerbis, aut  
uerberibus. Arridet hinc mihi Seneca  
in Epistolâ ad Lucilium: *Cum seruis fa-  
miliariter uiuere decet prudentiam tuâ:  
serui sunt, imò homines; serui sunt, imò  
contubernales; serui sunt, imò conserui; si  
cogitaueris tantundem in utrosque licere  
fortuna; debes cogitare, quem seruum di-  
ois, eodem calo frui, aequè spirare, aequè  
uiuere, aequè mori.*

Exem-



Exempla iam fortassis requiris bene  
 instructæ Familiæ. Elzearius Comes  
 familiam ita instituebat. Omnes quoti-  
 die integram Missam audiunt; viuunt  
 castè, & purè; alioquin exeunt: sape Sa-  
 cramenta vsurpant: Ne Deum, ne Beatã  
 Virginem, aliòsue Sanctos blasphemant,  
 iurantone temerè, vel inhonesta proferun-  
 to: qui secus faxit, in pane, & aquã ieiuna-  
 re rei sunt. Tesseris, aut alio lusu turpi ne  
 ludunt: omnes pacem & concordiam co-  
 lunt. Quæris aliud exemplum guber-  
 nandæ familiæ in viro Ecclesiastico?  
 dabo S. Carolum Borromæum ad Bat-  
 toreum Cardinalem: Curabis, inquit,  
 familiam castam, nec patieris inter dome-  
 sticos quenquam, cuius non sint verba, &  
 mores pudici, habeásq; domi, qui in hanc  
 rem inuigilent, & crebrò domesticos mo-  
 neant, tég; de eorũ vitã: modestia in verbis,  
 & cultu corporis cernatur: Insuper cura-  
 bis, vt iuramenta à familiã tuã absint;  
 scurriles ioci, conuitia, contumelia, & o-  
 mnia verborum genera, quæ alios ledant:  
 vesti-



384 *Institutionum Pastoralium*  
vestitus etsi decens esse poterit, cauebis ta-  
men, vt absit ornatus, quo milites, & iu-  
venes vti solent: illud & grauitatem red-  
det, & illis ipsis quandam maioris mode-  
stia necessitatē imponit. Vade: & tu, fac-  
que similiter: familiam tunc profectō  
optimè rexeris, si præterea adiunxe-  
ris pulcherrimam, virorum Ecclesiasti-  
corum præsertim, virtutem, parsimo-  
niam, & Frugalitatem.

NVM: III.

*Parsimonia, & Frugalitas.*

**P**ARSIMONIA propriè in rescinden-  
dis superfluis sumptibus versatur:  
frugalitas in moderando victu, & ve-  
stitu: vtraque quòd cognatæ sint, no-  
men inuicem commutant; ut is, qui  
Parcus, idem frugalis nominetur: Fru-  
galitas tamen, si spectes vim nominis,  
propriè in cibo, potúque cernitur: Par-  
simonia generatim etiam in moderan-  
do vsu fortunarum versatur. Vt vtra-  
que virtus sit; videndum, ne aut ex-  
cessu